


cópia

80+

X=80


IOANNIS
LVDOVICI
GVEZII BALZACII
CARMINVM,
LIBRI TRES.
Eiusdem
Epistolæ selectæ.
Editore
ÆGIDIO MENAGIO
F. Chauveau in.
N. Regnesson sculp.

IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII CARMINVM, LIBRI TRES.

EIVSDEM EPISTOLÆ SELECTÆ.

Editore ÆGIDIO MENAGIO.



PARISIIS,
Sumptibus AVGVSTINI COVRBE', in Palatio Regio, ſub ſigno Palmæ.

M. DC. L.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

SERENISSIMÆ

CHRISTINÆ

SVECORVM, GOTHORVM
ET VANDALORVM

REGINÆ,

ÆGIDIVS MENAGIVS
FELICITATEM.

SI quantùm cuperem, poſſem quoque, REGINA SERENISSIMA, nemo eſſet ex Literatis, quos omnes ſingulari illo tuo in literas amore æternùm deuinxiſti, qui tuas virtutes ornatius quàm ego, illuſtraret atque celebraret.

Qui enim ſummam bonitatem tuam, ſingularem in adminiſtrando Regno æquitatem, eximiam in diſciplinis eruditionem, in rebus politicis ſcientiam abſolutiſſimam, perſpicaciſſimam in omni genere prudentiam pluris faciat, quàm ipſe facio, inueniri poſſe neminem arbitror. Præcipuè verò amorem illum in literas miror, quo damnum quondam liberalibus artibus ac ingeniorum monumentis à Gothis tuis illatum videris velle reparare. Vittatam nauem Platoni Dionyſium obuiam miſiſſe, albiſque quadrigis in littore egredientem excepiſſe ferunt. Menandrum Reges Ægypti & Macedoniæ claſſe per Legatos petiere. Poſidonij foribus faſces ſubmiſit Pompeius, cui ſe Oriens Occidénſque ſubmiſerat. Infinita ſunt Virorum Principum in Viros Literatos huiuſmodi teſtimonia, quæ ſi enumerare libeat, enumerandi finis nullus planè futurus ſit. Sed tu omnes, SERENISSIMA REGINA, quotquot literas fouerunt, Principes fauore in illas longè profectò antecedis. Teſtes ſunt, SALMASII, CARTESII, HEINSII, VOSSII,

quorum amicitiam, quæ tua eſt humanitas, vltrò ambiuiſti; & quos amantiſſimis ac familiaribus literis ad te euocaſti. Tuas aliquot ad eos epiſtolas legi, Deus bone, quàm elegantes! O quam te memorem Virgo? Tu Dea certè, nec vox hominem ſonat. Cùm Imperatorum manibus terra colebatur, vberiores tuliſſe fructus credita eſt. Gaudebat ſcilicet vomere laureato & triumphali aratore. Gaudere quoque & ipſas Diſciplinas à Principibus tractari, inque eorum animis ſcientiarum ſemina lætius prouenire, tu vt credam facis, quæ, eâ quâ es ætate, tot linguas, tot artes, tot ſcientias comparaſti. Parens tuus Guſtauus Magnus, immo Maximus, res geſſit omnium, quæ vllâ vnquam hominum memoriâ geſtæ ſunt, præſtantiſſimas. & pauci ſunt è Ducibus Græcis vel Romanis, qui cum illo componi poſſint, anteponi certè nullus poteſt. Tu tamen magnum parentem longè ſuperas. nam & tuis auſpiciis tuóque conſilio bella quoque geſta ſunt, quæ Pallas ipſa geſſiſſe velit, & latè Imperij Gothici terminos promouiſti;

Sed (quod non ille) promouiſti & ingenij; &, qui illi defuit, Principatum in literis tenes, nullis circumſcriptum finibus, non Rheno, non Danubio, non Oceano. Ardebam pridem cupiditate incredibili nonnullas ex lucubrationibus meis, teſtes meæ illius admirationis, meæque in te obſeruantiæ, Maieſtati tuæ conſecrandi. Sed dum non ſatis politas, & te dignas in lucem emittere differo, mirificus quidam caſus interuênit, qui mihi occaſionem præbuit tibi ex ære alieno ſoluendi, quod necdum de meo præſtare poſſem. A Balżacio per literas frequens efflagitaueram, vt ſua, quæ paſſim iacebant, Poëmatia in vnum corpus colligeret. Collegit, dum mihi amiciſſimo negare nihil poteſt, & collecta miſit ad me. Ea cùm ego & CAPELLANVS Balzacij amicus & idem meus, accuratius legiſſemus; quæ publici iuris fierent, digna iudicauit amicus ille noſter, vir, quod puto non ignoras, omni liberali diſciplina politiſſimus, & quo

Nil exactius eruditiúſve eſt,
Sed nec candidius, benigniúſque.

idem

idem & mihi videbatur. Scripſi itaque ad Balzacium, rogans vt Carmina ſua edi pateretur, qui quam humaniſsimè & quam amantiſſimè reſcripſit ea ſe mihi muneri miſiſſe, facerem quod vellem, in ſe ſuáque æternam Menagio ſuo fore auctoritatem. Quid multa? Balzacij Poëmata, ipſo nec iubente nec vetante, non nolente tamen, prẹlo commiſi, tuæq; Majeſtati inſcripſi, cùm illo ipſo tempore auidè te ea exſpectare magni Parentis digna proles NICOLAVS HEINSIVS, mihi Scholmâ tuâ per literas ſignificaſſet. Quod tibi, quamquam audacius factum, non modò iucundum, ſed etiam gratum non vna de cauſa fore opinor. Nam & Balzacium cùm propter ſuauitates ingenij, tùm propter ſummam eloquentiam à te mirificè & diligi & probari intelligo: Et te Poëticen non modò vehementer amare, ſed etiam feliciter adeo colere audio, vt ſi non aliarum fulgore virtutum virtus iſta præſtringeretur, inter præcipuas Poëtrias ponenda meritò fores. Non ignoro quoſdam eſſe imperi-

tos, qui vobis Principibus Musas vitio vertant. Sed næ illi ineptissimi mortalium, omnisque Antiquitatis penitus ignari, qui Scipionem, Iulium Cæsarem, Augustum, Germanicum, Hadrianum, Iulianum, quâ manu vicêre carmina scripsisse ignorant. Nulla est, sicut falsò sibi persuadent, rei militaris inter & Poëticæ studia dissensio, sed summa potius concordia, & occulta quædam veluti conspiratio. Inter victrices Lauros serpere amant Ederæ: immo & eadem Lauro sua velant tempora Duces ac Poëtæ, eademque Pallas vtrisque præest. Tu verò talium hominum amentiam, licet argumenta deficerent, exemplo tuo satis confutares, & Principes omnes absolueres, qui Martis ferociam Musarum amœnitate ac mansuetudine temperare student. Tu, inquam, CHRISTINA HEROIDVM PRÆSTANTISSIMA,

Quæ sortem anteuenis meritis, virtutibus annos,
Sexum animis, morum nobilitate genus,

eadem & Poëtica virtute eminentissima. Quòd si artem minùs atque artificem, Poë-

ſim dico atque Balzacium, amares, Balzacij certè verſus non amare non poſſes; ita ſunt Latini & caſtigati, ita canori atque rotundi, adeò abhorrent ab omni verborum vilitate, adeò in eis omnia viuunt & mouentur, tanta vis eſt atq; ſublimitas, tam felix audacia, tam nihil puerile, nihil otioſum atque arceſſitum. Propter quæ HVGO GROTIVS, NICOLAVS BORBONIVS, FRANCISCVS GVYETVS, HADRIANVS VALESIVS, CAROLVS FERAMVS, vt ſummi Poëtæ, ita Poëtarum iudices exactiſſimi, Balzacium inter eximios huius ſæculi Poëtas collocabant. Sed & IOANNES SARACENVS, amœniſſimi homo ingenij, & iudicij limatuli, qui & in hoc Poëticæ ſtudio ſingulari quadam felicitate verſatur, de Balzacio dicere ſolet, ſuperari eum à paucis in genere leui & æquabili, in graui & ſublimi à nullo æquari. Ego verò, ſiue id rectè iudico, ſiue amore viri optimi & de me bene meriti laboro, præter illum neminem

ferè apud nos video, in quo poſſimus imaginem generoſæ poëſeos agnoſcere:

——— Neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis: neque ſi quis ſcribat, vti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe Poëtam.
Ingenium cui ſit, cui mens ſublimior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis huius honorem.

Vocibus vtendum & ſenſibus à plebe ſummotis, & (vt inquit ille) *per ambages Deorúmque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus, vt potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides.* Equidem ſcio quoſdam eſſe lenis & tenuis & compoſiti generis amatores, Poëtas humillimi ſpiritus, immo Verſificatores potiùs quàm Poëtas, & qui à ſoluta oratione minimùm recedunt, qui elatos, ſublimes, & grandiloquos verſus quaſi obſcuritatis vitio laborantes damnent, quo etiam Balzacianos laborare fortaſſe dicent, qui obtrectatione tanti viri famam ſibi aucupantur. Illud quidem nemo non fateatur neceſſe eſt, perſpicuitatem, vt ſolutæ oratio-

nis, ſic Poëticæ præcipuam eſſe virtutem, per quam ſcilicet ceteræ intelliguntur; eóque nomine Solem Deorum omnium primùm colendum quidam olim dicebat, vt cuius beneficio ceteros omnes ſpectamus Deos. Sed hoc quoque omnes fateantur neceſſe eſt, propter trajectiones verborum, propter nomina propria, quæ Poëtæ ex induſtria circumlocutione occultant atque inuoluunt, propter Fabularum reconditas hiſtorias, figuráſque poëticas, quæ plurimæ contra rationem loquendi auctoritate Veterum receptæ ſunt, poeticæ dictioni quamdam ineſſe obſcuritatem. Vt veriſſimè dixerit diuinâ vir ſcientiâ Plato, omnem Poëſim naturâ ſuâ eſſe αἰνιγματώδη, nec cuiuſvis eſſe Poëtarum ſcripta interpretari. Si ergo obſcuriora quædam hiſce in Poematijs quibuſdam videbũtur, cogitare debebunt, num ſuâ potiùs ignorantiâ, quàm Scriptoris vitio id accidat, nec ſtatim culpare, quod ipſi non intelligẽt. A te, DOCTISSIMA REGINA, procul illud periculum. Nec dubito, quin,

cùm nihil ad intelligendos Poëtas necessarium ignores, plana omnia & aperta in Balzacij carminibus sis offensura; immo & cunctas eorum dotes primo statim intuitu summa cum voluptate, certò scio, deprehendes. Latinis Poematijs Balzacij Latinas eius aliquot Epistolas subjunximus, quas & augusto tuo nomine insignitas in manus hominum exire patere quæso, SERENISSIMA CHRISTINA. In Epistolis Gallicis consensu Eruditorum iamdudum Princeps habetur Balzacius. Imperitorum enim in eas libellos nihil moror, qui non nescio contra Theophrastum, hominem in Eloquentia tantum, vt ex eo nomen traxisse dicatur, scripsisse etiam feminam impurissimam. Sed & in Latinis, quantùm quidem ego iudicare possum, non paucos procul à se reliquit. atque ita mecum sentit, à quo dissentire nefas, CLAVDIVS SALMASIVS, vir vndecunque doctissimus, & qui diuinis in omni Disciplina lucubrationibus hoc consecutus est, vt jam non hominis, sed ipsiusmet

Scientiæ SALMASIVS nomen habeatur. Nec verérer Balzacij Latinas Epiſtolas cum Epiſtolis Antiquorum comparare, ac neſcio, an etiam præferre debeam. Ciceronianas excipio, nihil enim illis in eo genere perfectius. Sunt tamen, quibus aliquæ nimis cultæ & compoſitæ, nec ſatis faciles & familiares ex Balzacianis iſtis videantur. Sanè Epiſtolas familiares ſimplici, ne dicam plebeio, ſermone ſcribendas ipſe non conceſſerim modò, verùm etiam contenderim. Nam & in illis negligentiam pro cultu, & nullam figuram figurarum loco eſſe oportere à dicendi Magiſtris accepi. Sed eſt Epiſtolarum quoddam genus ſeuerum & graue, quod ornatus non admittit ſolùm, verùm & habere debet; atque ad hoc genus Artemonem illum, qui Ariſtotelis Epiſtolas in volumen retulerat, reſpexiſſe crediderim, cùm Epiſtolas cultas eſſe debere, quia pro munere mitterentur, pronuntiabat. quod enim Libris dedicatur, & in exemplum editur, terſum ac limatum, & ad

legem ac regulam compoſitum eſſe oportere rectè Fabius putauit, quia veniat in manus Doctorum, & iudices artis habeat Artifices. Huius generis cùm ſint Epiſtolæ illæ Balzacianæ, falluntur vehementer, meo quidem iudicio, qui nimio cultu laborare illas putant, præſertim cùm cultæ ſint ſine putiditate & cacozelia. Eas, vt & eius Poematia, pignus meæ in te obſeruantiæ accipe, REGINARVM DOCTISSIMA, & Literas ac Literatos amare perge. Luteciæ Pariſ. pridie Idus Febr. CIↃ. IↃC. L.



IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII CARMINVM,

LIBER PRIMVS.

AMYNTAS.

QVÆ lucis dubiæ atque breuis tam dira cupido?
Quis vitæ furor, ingenitus mortalibus ægris?
Vsque adeóne ægrum & mortalem viuere dulce est?
Sic puluis cœnumque mihi formosa videntur,
Æstiuique ardorem Astri & mala frigora Brumæ

Semper amem? Noctesne almi sine munere Somni,
Peiores & nocte dies, Solemque timendum
Artifici, expectem semper, fessoque iacentique
Innumeræ placeant vno sub pectore curæ,
Officia omne genus, totoque ex Orbe labores?
Namque & ab extremis nos nuper epistola terris
Oppressit, gelidâque salus mihi dicta sub Arcto,
Grandis, melle madens, cunctisque ornata figuris,
Rhetoricæ emeritum malè gratâ inclusit arenâ,
Sidera nequicquam & Superos in vota vocantem.
An memorem assiduum qui sæuit in ossibus ignem,
Et cæcos febre internùm grassante tumultus,
Ætnæi simulachra rogi; turpesque ruinas
Corporis, atque aliena annis mutantibus ora,
Ignotumque etiam mihi me, speculumque timentem;
Densa adeò crines sparsit niue Iupiter atros,
Saturnusque pater sulcis immane profundis,
Totum, si quis erat, vultus corrupit honorem.
Ignauos-ne querar sensus, nebulasque recentes
Iniectas oculis, obtusumque auris acumen,
Audeat & quicquid diri infandique Senectus,
Ante diem properasse, & morbos agmine facto?
Prætereo, infidamque fidem, linguæque venena
Dulcia mendacis, socios plerumque Sinones,
Intactumque à fraude nihil, contemptaque iura
Sanguinis, & casti temeratum fœdus amoris,

Vitæ dura mala, & puppi vada naufraga noſtræ!
Aſſueſco tamen ipſe malis, doceorque dolere:
Naufragia hæc inter cladeſque in littore reſto,
Fati relliquiæ immitis, noſtrique ſuperſtes.
Quæ ferre haud poterat, quæ Monſtra putabat Amyntas,
Nunc mores ſæclumque vocat, fingitque minora,
Blanditurque ſibi, & verbis ſua vulnera mulcet.
Mortem opto, rerum impatiens quandoque mearum,
Horreo præſentem, incertus metuenſque futuri.
Infelix queror vſque, meas finire querelas,
Nec volo, nec notos iam poſſum odiſſe dolores:
Vſque adeò & miſero & morienti viuere dulce eſt!

AD FRANCISCVM MAINARDVM, ROMA REDVCEM QVERELA.

CVNCTANE præ Latio ſordent, atque vrbe Quirini,
O Mainarde, tibi? Noſtri-ne oblitus amoris,
Æquales Flacco Teſtos, & Nomina Criſpis
Æmula nunc Stradas, Spadæque ad grandia nati
Ingenium, Heroëmque, alto de ſanguine Diuum,
Bentiuolum loqueris ſemper, nec pectore pleno
Romulidis, audes braccatum admittere ciuem?
Non hæc Balſacium quondam ſperare iubebas,
Præque vno tibi, nam memini, Saturnia tellus,
Balſacio, Æneaſque pater, ſanctuſque Quirinus
Vilis erat; quæ Canidia aut te Leſbia vertit?
Jamne redux præſenſque externis ignibus vri,
Antiquumque animo poteris delere ſodalem?
Dij meliora mihi, vates nec credere fas ſit

Immemores, Musasque suam nescire parentem.
Quin potius fallax animum deluserit error,
Atque ipse haud certus sibi somnia finxerit augur,
Cùm patrias alieno orbi postponere laudes,
Neglectique reum te fœderis esse timebat.
Forte suum syluas viridi Mainardus in vmbra
Balsacium resonare docet: Forte optima Coniux
Festa meis Natique oblectant otia chartis,
Mainardo recitante; & habet solatia fati
Phylarchus, quod adhuc facundo viuit in ore,
Et superest percussus adhuc: Iamque ipse Menander
Plaudis Narcisso, ac mutato nomine gaudes.
Sed fuerint hæc læta nimis: Iuuat esse modestum,
Spesque auidas reuocare, & tantis parcere votis.
Mainardus legat Hetruscas cum Coniuge chartas,
Obseruetque pius veteris noua fulmina Linguæ
Romulidas Patres, & Amans sine fine loquatur
Æquales Flacco Testos, & Nomina Crispis
Æmula nunc Stradas, Spadæque ad grandia nati
Ingenium, Heroëmque, alto de sanguine Diuum,
Bentiuolum, nostri modo non oblitus amoris.

AD

FRANCISCVM MAINARDVM.

INVITATIO.

NEMPE aliàs tibi carmen erit, Mainarde, Valeta,
Quem iactat Regina maris, priscæ æmula Romæ,
Armatumque ſuos Ciuem ſibi fecit in hoſtes.
Luctantem cum Sorte virum, flammaſque paternæ
Indolis, inuictamque haud vaſto in corpore mentem,
Nec Superis cedentem ipſis vim pectoris alti,
Deteſtata piis & prælia matribus edes:
Nunc ludos deprome tuos, & quicquid in arca,
Erue quicquid habes veterum feſtiuus Amorum.
Adſis lætitiæ quondam dator. O mea doctus
Vulnera mulcere, & ſæuam depellere peſtem
Aggreſſus toties, fruſtráne vocabere votis,

Speratusque aberit, lumenque negabit amicum,
Consule Fabricio, dignusque Numismate vultus?
Sancta Fides immota mane, & mî redde sodalem,
Pollicitus namque est, nec habent promissa regressum,
Mainardusque omnis nostro debetur agello.
Vt procul à Superis, sic longè à fulmine Cœli,
Quippe Deos tantùm gens rustica nouit inermes,
Hîc tibi muta Quies, placidi soror altera Somni,
Sed melior, quàm Thrax Aquilo, nimbique sonori,
Stridentesque rotæ, durique incudibus ictus,
Et suspensa sacris in turribus æra verentur.
Obstrepere huic non ipsa suis Victoria pennis
Ausit, purpureusque suo Pæane Triumphus.
Quid voces miserorum, & diri murmura belli?
Bella cruenta silent, etiam sine sanguine bella;
O quantùm grata vrbanæ spectacula genti,
Aut quæ Salmasidem inuictum, ac par nobile Patrum
Exercent, quos ille & cunctos sustinet vnus:
Aut quæ inter geminos Chimene formósa Poëtas
Mouit, agens dubium studia in diuersa Theatrum:
Aut valida Herodis tractat quæ dextera Belgæ,
Auroram secum omnem, Argosque in castra vehentis,
Tarpeiumque ausi socium sperare parentem,
Indignæ pugnæ socium, & propria agmina contrà.
Rustica Pax istas acies, & talia nescit
Prælia, nec sinit Herodis, meminisse nec HeinsI.
Me nemus ingenti ramorum protegit vmbra;

Verba volant, abſens ſtrepitu non tangor inani,
Inueniesque tacentem, atque ipſis hoſtibus æquum,
Et vacuus mecum imbelli lætabere Phœbo.
Cætera quid memorem ſecretæ commoda ſyluæ,
Et quæ reddit ager? Magnum hoc, te Rufe, caremus,
Inuitus nec te, Baſſe, ac te, Poſthume, cerno.
Exulat hinc alyſve ſuas qui commodat iras,
Mentiturve dolentem, iraſque & iurgia ludit,
Infidus Legum interpres; raucuſque tonando
Grammaticus fata Æneæ, Troiæque ruinas,
Tempeſtas metuenda mihi; atque inſomnis Amator,
Qui canit immitem, & tabulæ multa oſcula figens,
Tecta implet, queſtuque homines obtundit eodem.
Hinc fugiunt ægra Inuidia, & communis Erynnis
Lædentis læſique Odium, & iura omnia rumpens,
Implacata fames auri, & quæcumque Cupido.
Oſtrumque Imperiumque ſonans illuſtris Egeſtas,
Quæ pulchram Auſoniam & Romanas incolit arces;
Spes largæ, breuibus breuiora & Prandia Cœnis;
Blanditiæ, tumidique exſucco in corpore Faſtus,
Mordaceſque abſunt falſa inter gaudia Curæ:
Exilia his, ſed Regna tibi, & me me offero ciuem.
Sat, Mainarde, comes, properoque anteambulo greſſu,
Sub Latiis meruiſti inuicto pectore ſignis.
Matutinus Aue ſat Martis in vrbe tuliſti,
Et ſtantem & feſſum Proceres riſere ſupini:

Quem

Quem tibi Militiæ finem dabis? O bone ſaltem
Quod ſupereſt, aliquando tuus, tibi viue mihique.
Hîc vitæ artifices noſtros fingemus in vſus,
Et fictas ſplendere roſis mirabimur Horas.
Hic nitidas antiquo auro componere luces,
Aut nimiùm ſi magna loquor, Mundique prioris,
Hic dabitur pigris celeres ſpectare Colonos;
Si placet, & longas etiam producere cœnas,
Quas rubicunda coquet non parco Villica ligno.
Ne dubita, totamque modo obliuiſcere Romam,
Et Româ perge oblitâ bona diſcere Ruris.
Nullus erit, iuſſos pallens cui reddere verſus
Debeat, indoctóque laborans Muſa palato,
Æthereum inficiat præſcriptis ſordibus ignem.
Nullus erit, cuius dominos horreſcere nutus,
Cogariſque pati faſtidia; Nullus in antris
Plaudendi labor, & Crœſi cultura potentis,
Qui laudes velit, & fumum qui vendat inanem.
At Venus, Aſſyrij pertæſa in gramine luxus,
Ardenteſque oſtro gemmiſque exoſa penates,
Iam bona, iam riguis tantùm quæ præſidet hortis;
Bacchus at agricola, & victi pridem immemor Indi,
Et mater Pomona, & pictis Flora capillis
Certatim tibi dona ferent: Dumque otia felix
Diis immixtus ages, nec ſæua hæc turba Deorum eſt,
Dum per ſe pretioſa, & opes ſectabere veras,

Securiſque Bonis, Mundoque frueris aperto,
Si tibi quid reliqui eſt, pateriſque hærere veneni,
Aulæ dirus amor purgato è corde recedet
Ocyus, & miſeros Aulæ ridebis Amantes.
Num maiora voles Sophiæ Phœbique ſacerdos,
Pluſve dabit Geniuſque loci, viridiſque Carenta,
Nimpharum pater, & Muſis gratiſſimus amnis?
Fallor an Ignoti cupies, Verique latebras
Quærere, vel cauſis rerum inuigilare repertis,
Naturamque ſequi volucrem, & quæ fœdera iunxit
Neptuni noſſe ac Cybeles, atque Ætheris almi;
Flammantes & adire domos, Titaniaque aſtra
Aſſiduus, ſoláque audebis viuere mente,
Præcipit vt Princeps Academi, & Porticus alta,
Ipſo fixa adamante, animoſi Porticus oris.
Hæc clypeos enſeſque, hæc tela æterna parabit,
Monſtra quibus tetraſque animorum excindere peſtes,
Et valeas viles auertere pectore curas.
Nec promiſſam ideo credas violare Quietem;
Neu placida arma time, & tacitos contemne Triũphos.
Si non Sauromatam immanem, domitoſque videbis
Te victore Daas, ſolio ſublimis in aureo,
Hircanoſque, Arabaſque, Orbiſque è finibus Hoſtes
Ante coronatas humili ceruice quadrigas;
Captiuum Errorem duces, fractoſque Timores
Oſtendes populis, famulamque Cupidinis Arcem.

Ipsa tibi vis Fati, & Sors tibi seruiet ipsa,
Euersamque rotam, lacerum calcabis & orbem
Instabilis Diuæ; longéque humana relinquens,
Non mirator Honorum, vnius cultor Honesti,
Nil Superos orans, & voto excelsior omni,
Sub pedibus Fascesque & Sceptra iacentia cernes.
Ergo veni non parua agitans: Verum ardua differ
Interea, facilisque veni, comitante Quirite
Quem Verona tulit; iungas quoque quem sua iactat
Bilbilis; hic quamuis inimica è gente Philippi,
Et Bello vetitus nostris succedere tectis.
Sed vati innocuo, summi qui ciuis Olympi,
Nullus in orbe hostis. Teneros quis lædat Amores?
Omnia tuta Iocis, ac sæpius alite fausta
Argutum mediis Epigramma interuenit iris.
Si tamen & grauiora iuuant poscente Valeta,
Atque tibi hæc veteres permittis dicere nugas,
Ingentesque animos non vnâ includis arenâ;
Adde Lyram, adde Tubam, per me licet; Exere tela
Armati Archilochi, Trabeas, grandesque Cothurnos,
Et quod gestat ouans Regina Tragœdia Sceptrum,
Ad nos protinus affer, & inclita facta Valetæ,
Quem laudat quæ cæruleis Vrbs præsidet vndis,
Armatumque suos Ciuem sibi fecit in hostes.
Te cunctæ Veneres, omnis te Musa sequatur,
Celtica, Thusca, Quiris, Graijsque in montibus orta;

Ingenuæque adeò tota cum merce tabernæ,
Te committe viæ, mœſtumque inuiſe ſodalem.
(Heu morbus premit elata ac iucunda profeſſum,
Nec ſinit immites paulùm requieſcere Diras!)
Sed tu ope Muſarum & varij dulcedine cantus,
Ægram animam, & duros poteris lenire dolores.

AD REGEM CHRISTIANISSIMVM LVDOVICVM SEMPER VICTOREM, POST PVGNAM IN ALPIBVS.

EPIGRAMMA.

HAVD Mortalis eras: Certè ceu Numine viſo,
Diriguit ſubitæ debita turba neci.
Sic te vidit Iber, toties videre Britanni,
Nec faciem Belgæ ſuſtinuere ſacram.
Ni, Ludouix, aliquando abſis, paulúmque recedas,
Militibus ſupereſt gloria nulla tuis.

AD EVNDEM CHRISTIANISSIMVM ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM.

ELEGIA.

MVndo nota canam, nulliq; ingrata Deorum,
Numen enim nostro militat omne Duci,
Teque fauens Natura & prompta Elementa sequuntur,
Et leges, Ludouix, accipit Æthra tuas.
An memorem Oceanum, tibi ne violentior obstet,
Oblitum solitas, segnius isse, vices,
Et tua concordes siluisse ad classica Ventos,
Surgeret vt tacito machina fixa Mari:
Machina quam vastos gens fera tulisse Gigantas
Credat in æquorei cærula regna Iouis?
An referam nutu vnius subsidere Montes,
Inuiáque in molles saxa patere vias,
Aëriasque capi primis clamoribus Arces,
Sæpius & placida parta Trophæa manu;

Anglumque, Allobrogemq; & amantē fraudis Iberum,
Et tot ad augustos Sceptra caduca pedes?
Dicam iterum; cœleste aliquid quod cuncta verentur,
Præsentesque trahis semper in arma Deos.
Si pugnas, vicisse parùm est; sed clarius illud
Fama canat, victis fit tua pugna salus.
Se tibi vindicibus purgatus viribus Orbis,
Se tibi debebit nobilis Ora prior,
Ora mei seruat cineres quæ sancta Maronis,
Haud hosti æternùm præda relicta suo.
Parthenope exanguis, Nympha sed pulchrior omni
Sic quoque, & inuictum digna mouere Ducem,
Vim passa infandam, tetrumque exosa cubile,
Gestit in antiquos casta redire toros.
Non animum amplexus turpes, fœda oscula mutant;
Prima incorrupto durat amore fides.
Cernis vt ad summis conspectos Alpibus ignes,
Ereptum doleat fortiùs illa decus;
Vt dubium rumorem atque omnes colligat auras,
Dum putat Vltoris proxima signa pij,
Et renouet duros miseranda voce labores,
Quæque tulit sæua non meliora nece.
Legimus has pridem Lachrimas, & Vota tabellis
Credita, & vrgentis conscia verba mali,
Quæ glauco Ligeri atque Andinæ scribere Nymphæ
Cognato iunctus sanguine iussit amor.

O quoties Superos mortem Manesque rogauit,
Cum fugeret passus, Hostis acerbe, tuos!
Aut arbor voluit fieri, aut in littore rupes,
Frustrarique auidas saxea facta manus!
Fata obstant, dominúmque imponunt multa querenti,
Quo grauior Siculus non fuit ante Cyclops;
Qui furto, non marte potens, raptisque superbus,
Proterit indigno Gallica iura pede,
Heroümque Vmbras, veros & ab Hectore Reges,
Et Latium triplici ridet in Arce Iouem.
Viderat hæc pictum Ludouix dum circuit Orbem,
Et duce sub Fabro singula Regna notat;
Ausoniam notat in primis, depastáque Monstro
Indignans gemuit rura beata Puer:
Rura nimis formosa. Illic & Solis amores,
Sic charam innocuo lumine mulcet humum,
Tethyos & festi lusus, ita languida nescit
Irasci, & blandis mœnia lambit aquis.
Littoris haud nudi facies, cui plurima laurus
Sufficit, & similes citria silua comas.
Exul Hyems fugit in scopulos, vbi mollia tantùm
Frigora, & æstiuas iussa parare niues,
Dum mites Ventorum animas fragrantibus vmbris
Miscet & ambrosio tingit odore Venus.
Nimirum teneræ felix Campania Diuæ
Posthabitâ, dudum est Regia sola, Papho,

Viuacesque

Viuacesque rosas atque æternos hyacinthos,
Ostentatque alias prodiga semper opes.
Nec steriles spectantur opes, sed, præside Baccho,
Luxuriant pleno Flora Ceresque sinu.
Et dubitat tantæ Ludouix accedere doti,
Hectoreis visus qui modò maior Auis?
Et Nymphæ ingenuos morientis despicit ignes,
Nec memor est, alter quam premit, esse suam?
Rumpe moras, Ludouix, pars hæc pulcherrima rerum
Poscit opem, & fortes increpat vsque manus:
Parthenope te mœsta vocat, melioráque fata
Sebethus querulo te rogat ore pater.
Te Liris, te Pausilypus, te florida Doris
Sperat, & aduentus somniat ægra tuos.
Quando erit illa dies, primo fulgentior auro?
Tam claram timeas, impia Luna, diem;
Hæc restat quippe euersæ spes vltima Genti,
Hac recreat pressum Græcia luce caput.
Fœtæ armis frustra obijcient ferrum vndique turmæ,
Augebit titulos Thracia fracta nouos.
Dignior Eoâ, sine Barbare, regnet in Aulâ,
Pollutisque diu, cede Profane, locis.
Illa Dies properet temerato debita Mundo;
Sæcla tot & Populos vindicet vna Dies.

AD AVSTRASIAM.

AVstrasia infelix, nec auiti juris Idumen,
Nec memores Aquilas, signa sepulta, tuas.
Quamuis & Titulos & grandia Nomina jactes,
Multusque in vano Carolus ore sonet;
Nil euersa juuant Monumenta, & tristis imago
Regnorum, & pleni Cæsaribus Tumuli.
Qui tibi seruitium Luparæ & promiserat arua
Celtica, qui Ligeri iura daturus erat,
Carolus, vt veri radiarunt arma Capeti,
Concidit, & proprias luget egenus opes.
Sic vicisse pudet. Nec visas cepimus Vrbes,
Atque vltro exutum Rex stupet ipse Ducem.
Austrasia, huic vilis nimiùm & neglecta fuisti;
Téque ita qui cessit, nesciit esse suam.
Credidit hostiles profugus liquisse Penates,
Aut caput objectis eripuisse rogis:
Tam festinus abit, tam nulla est cura relictæ;
Sed melior qui te iam tueatur, adest:

Jlle triumphata rediit qui victor ab Alpe,
Et per quem placidis Mincius errat agris:
Ille ægro natus Iuuenis ſuccurrere Sæclo,
Et Mundo infeſtæ ſiſtere fata Domus.
Cur ſequeris funus, vacuam cur diligis vmbram?
Nec miſera inuitis deſinis eſſe Deis?
Deſere feſſa Tuos ſuprema clade iacentes:
Te validam & ſtantem deſerüere Tui.
Prima mali patiens, externóque obuia ferro,
Quæ media hinc hoſtes excipis, inde times;
Tandem pone animos, ac noſtra aſſueſce vocari;
Ni facias, Phœbi hæc vaticinantis habe.
ALTERNIS VERTET TE CELTA ET TEVTO RVINIS,
ET NISI PARS VNI ES, PRÆDA DVOBVS ERIS.

AD
PVERVM PRAECIPITEM.

QVò ruis infelix, maioraque viribus auſe,
In pugnam æternos auſe vocare Deos?
Dum læſi indulgent Superi, mala corrige vota,
Et veteres caſus, & nimis alta time.
Summa tenens, ardet currus auriga paterni;
Præceps Icarias nuncupat alter aquas;
Fertur equis puer ille, impar congreſſus Achilli:
Vis addi pueris, quarta ruina, tribus?

ORACVLVM IVLII.

CALEND. IANV. ANNI M. DC. XLIII.

QVid querimur tacuisse Deos, frustráq; vocari
Gentibus, & cœca inuolui Mortalia nocte?
Non ego: Non nostri tam longa silentia
Phœbi,
Et pridem vacuos fugitiuo Numine Delphos,
Veridicæque amissa queror monumenta Sibyllæ.
O decus, ô præsens rerum tutela salusque,
IVLI ingens, Mundi totos Mens sparsa per artus,
Tu mutis, Mundo reparas Oracula, Delphis,
Atque patet Cœlum omne tibi: Tu lingua Deorum;
Tu Fati interpres; Veri tu maximus auctor.
Nec Themis ante Iouem sacro magis ore locuta est,
Consulta à Populis, dubiis nec Iupiter ipse
Regibus, ipse etiam respondit certior Ammon,
Aut dedit incertis melius succurrere rebus.
Soli igitur tacuisse Deos videatur Ibero,
Semperque inuolui cœcâ Mortalia nocte:
Solus & ille preces atque irrita perdere vota,

Et vetita occlusi doleat commercia Cœli.
Nam quid dissimulem, propria aut quid vota recōdam,
Degenerique metu nimbosis blandiar Austris,
Nec tumido merita hæc Vates tuus ominer Hosti?
Communis Terrarum hostis, cui nomina mille,
Mille nocendi artes, impar tandem vnius arti,
Desinat ambitis impunè illudere Regnis,
Nudatosque dolos, & fraudes ploret apertas.
In peius ruere, ac vastum decrescere corpus
Sollicito nequicquam animo, & sua funera cernat;
Sentiat & quod nosse piget, magis vsque timendum
Numen, & instantis propiora pericula Diui,
Æthereasque iras, nulláque in parte serenum,
A nobis stat quippe, Iouem. Sors illa superbo,
Et metus ille vrgens, & spes erepta Futuri,
Ni veniat lapsis quæsitum Oracula rebus,
Ac supplex humilisque alienas fusus ad aras,
Pacem oret toties contemptam, & Sacra reuersus
Borbonidæ magno instituat, festasque quotannis
Ritè dies, patrius glaucas quà Bætis oliuas
Irrigat, & Scaldim spectant quà mœnia Belgam,
Mœnia Neptuno nimiùm vicina Batauo.
Interea cedros & marmora celsa Pyrene
Dum paret, & thus mollis Arabs, atq; India gemmas;
Sitque per assiduas clades, perque annua damna,
Numen Borbonides Hispana in Templa receptum;

IVLIVS ille ingens, Mundi tutela caduci,
Ille nepos Martis, ſed ſic quoque Pacis amator,
Atque vltor non ſponte, & ad vltima fulmina tardus,
Et miſerans pereuntem, & partibus æquus vtriſque,
Haud Fati ignarus, cœleſti has pectore voces
Reddit, in Aoniis ſeruet quas Gloria Faſtis.
" *Parcite cognatas armare in mutua dextras*
" *Vulnera: Neu ciui concurrat Iberus Ibero,*
" *Neu Morini pergant ſocios horrere Batauos:*
" *Finis adeſt odiis, & Mars fremat ore minaci,*
" *Hoc voluit Ludouix, poſitâ Diſcordia tædâ*
" *Miteſcet, faciliſque obſtructo dormiet antro.*
" *Feſtinate Viri, & tantis accedite cœptis.*
" *Ægris certa ſalus, Populóque oſtenditur omni*
" *Libertas prima, aut ſancto ſub Principe Regnum.*

AD EMINENTISSIMVM PRINCIPEM, IVLIVM MAZARINVM, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALEM.

Cùm post grauissimum morbum, meliùs iam se-se haberet.

NOn ego te, JVLI sileam, quo Roma superba est,
Per te iterùm Heroüm credita Roma parens,
Nec magnos post Æneadas, mihi nomina sancta,
Æneadum magnus prætereare Nepos.
Et tibi par Superûm fauor excubat, & vigor alti est
Idem animi, & Mundum tu quoque mente regis;
Imperiíque artes dominas, Arcanáque nosti,
Sciuit & Augusti quicquid Ethruscus eques.

Macte

Macte istis, Romane, Bonis, vt amore Deorum,
Sed tibi habe Terras, serus & Astra pete.
Heu quantùm timuere homines, quæ vota fuere
Hectoridum, in dubio cùm tua vita foret!
IVLI, almæ donum Ausoniæ, decus addite Celtis,
Spes Patriæ, IVLI, præsidiumque meæ,
Viribus hic opus, & semper florente iuuenta,
Inualido, rerum nec licet esse duci.
Audi Orbis voces laceri longumque gementis,
Ipse à te medicam qui rogat æger opem.
» *Si vilis tibi vita, inquit, ne desere Reges,*
» *Ne Populos, mea scis vulnera, viue mihi.*

IN OBITVM MAGNI GVSTAVI.

VIctus sic Victorq; pares, & iam cinis vnus,
Et duce cum Tilio, fortis Adolphe, jaces.
Ipse jaces, volitat magnum super æthera Nomen,
Præteritumque canit garrula Nympha decus,
Regnandique artes, fataliaque arma Tyrannis
Prædicat, & Mortis clara Trophæa tuæ.
Nil ad te hæc: Surdo loquitur tibi Nympha, nec audis,
Fabula iam factus, Nominis Historias.

AD

ILLVSTRISSIMVM SEGVIERIVM, FRANCIAE CANCELLARIVM, DE OBITV NOBILISSIMI GENERI.

NEc se aliàs tali Ligeris jactabit alumno,
Nec metuēt talem Belgica corda manum,
Et iam Victor erat. Fatum heu crudele vel ipsis
Quos amat, heu mixtis nigra Trophæa rogis!
Ast oculis Patriæ, pietas hæc mutua, luge,
Sancte Solon, oculis excubat illa tuis.

AD
ILLVSTRISSIMVM COMITEM, CLAVDIVM MEMMIVM,
Summum ſacri ærarij Præfectum, Regis Chriſtianiſsimi extraordinarium in Germaniam Legatum.

QVò te vota Orbis, propera quò nobilis ANNÆ
Iuſſa vocant; finem oſtendunt bona Fata ſecundum,
Et bene erit, dixit Tarpeio è culmine Cornix.
Magna quidem, primæ ſed non indebita famæ
Aggrederis, ſolitaſque inuitat Gloria curas.
Creſcunt ingenti validæ ſub pondere vires;
Nec noua te rerum facies inopinave turbat;

Tentatum moliris opus, pridemque cruenti
Memmiadem coluere Getæ; mirata sed altas
Mentis opes, sæpe orantem, rigidasque suorum
Mulcentem Procerum fibras Germania vidit.
Flexanimam maiora petunt jam munera Diuam:
Arte tua plus tempus eget. Iam concipe dignas
Romulidis voces, & totos exere census
Ingenij, Herculeasque effundant verba catenas
Aurea, nec liceat dulcem euasisse rapinam.
Insanum Populis Bellorum ac cædis amorem
Da bonus abijcere, & sexcentos mittere in annos,
Gangem vltra, Tanaïmque vltra, Scythiæque paludes.
Da Pacem venerari, & in ipsis velle Triumphis,
O Patriæ lingua, atque hostis spes vna superbi,
Noster honos Claudi, & rerum tutela mearum.
Illa Iouis soboles, Cœli Pax munus amici,
Te duce, te præeunte, Europam vecta per omnem
Spicifero curru, desertas ciuibus Vrbes,
Et vacuos longè abductis cultoribus Agros
Gente noua implebit, numerum vincente priorem:
Mœniáque informi multùm lugenda ruinâ,
Euersasque Aras, & jussos stare Penates
Restituens, meliore dabit juuenescere vultu.
Tum te alia expectant, proprio nec parce labori,
Ærumnisque tuis, vt postera gaudeat ætas.
Tum laudis non fictæ, & amore incensus Honesti,

Plaudente Orbe redux, partâque insignis Oliuâ,
Impressas Bello maculas delere memento,
Et Fraudum concreta modis mala semina diris,
Et quicquid genuëre feri per tempora mores.
Monstra fuga, nostro nimiùm nunc cognita Mundo,
Obscœnas olim volucres Acherontis auari,
Queis data præda sumus, quæ contactu omnia fœdant
Impuro, ausæ vix natas corrumpere fruges.
Terris tale nefas, iramque auerte Deorum:
Dij Stygias odere artes, deuotaque lucro
Pectora, sacrilegamque sitim, quæ Numina nulla,
Nulla, homines inter, Naturæ fœdera nouit;
Funestos odere atra de Pace Triumphos,
Detractamque cutem & laceri spolia horrida Ciuis.
Sed quid ego hæc malè grata cano atq; inuisa canenti?
Vulnera quid nudo Patriæ socióque tibíque?
Venistis nempè infandos finire labores
Tu sociusque tuus; Themidis sanctissimus ille
Balloïdes cultor, pulchræ cui gratia Pythus
Mira etiam, ambrosiíque fluunt è pectore riui.
Quidni ergo illustres animæ, noua lumina Mundi,
Propitij Heroës, priscos ingentibus ausis
Æquetis Minyas, jeiuniaque ista leuetis,
Et patrio sontes Harpyïas pellere regno
Sit fixum vobis, turpesque auertere prædas.
Nec dubiam & morbis grauidam exanguemq; Salutem

Procurare juuet Populis, ſed robore lætam,
Florentemque opibus, ſed, ſi non improba vota,
Formoſam, Diuarumque vnam, ipſámque Salutem,
Quam dederat Pater Henricus mortalibus ægris.
Credimus: En melior nos rerum Aurora ſalutat,
Saturníque dies, ANNA ſub Principe, Virgo
Reddet, & æterno fœcunda redibit Olympo.
Aduentus ſigna apparent prænuncia ſacri;
Tandem audet ſperare Dolor, miſerandaque turba
Depreſſos in terram oculos ad ſydera tollit,
Lumine tacta nouo, & promiſſa Pace, nec vnus
Concipit exanimis vitæ ſolatia Phineus.

AD INVICTISSIMVM HEROEM, LVDOVICVM BORBONIVM, DVCEM ANGVIANI.

EPIGRAMMA.

O QVEM Teutonici formoſum puluere belli
Magna ſuum dici gaudeat ANNA Ducem,
Quæ te digna petes Victor? quæ præmia mater
Gallia, quos Titulos, quæ Monumenta dabit?
Haud equidem quo ſoluat habet, primóſque labores,
Et tibi adhuc Rocroum debet egena decus.

Quid

Quid faceret? Tunc grata, tuis ſed laudibus impar,
Hoc nimium eſt, tacito pectore dixit, onus.
Spe vates dein facta, & numine plena Deorum,
Fatali tales reddidit ore ſonos,
Quos Muſa æterno, me teſte, ſacrauit in auro,
Iuſſit & à docta Poſteritate legi.
» *Iſter Gallus eris, peragetque ardentis Adolphi,*
» *Penè puer, forti grandia cœpta manu:*
» *Ille acies franget tumidas; ille vrbe Philippi*
» *Cæſareas cauto Marte fugabit aues.*
» *Parce Ducis numerare annos Hiſpania tanti;*
» *Borboniis Virtus contigit ante diem,*
» *Sicque moras malè fert & lenti dedecus æui;*
» *Sic Pueri ludunt prælia vera mei.*

APOLLINIS THYMBRÆI RESPONSVM

REGI CHRISTIANISSIMO.

HVIC dubiæ ſpes Regni, & certa pericula rerum,
Huic formidati mandentur munera Martis,
Penè puer qui mira & non mortalia fecit.
Ille laboranti poterit ſuccurrere famæ:
Ille inclinatas firmare ad prælia turmas;
Conſpectoque ſemel virtus in victa redibit
Pectora. Ne dubita, Hectoride, Thymbræus Apollo eſt
Qui monet, & me vate Tui vicere Latinos.

AD FORTISSIMVM ET INVICTISSIMVM PRINCIPEM, POST DVNKERKAM EXPVGNATAM.

I *Toties Victor, solitasque ad prælia vires*
Sentiat ille Ferox: Te Belgica Mœnia viso
Et nondum pugnante cadant: Tibi voluat amicas
Per te liber aquas Scaldis: Det pignora Rhenus,
Nubiferas det habere tibi quas alluit Arces;
Neptunique patris magnum cessisse Tridentem
Dunkerkæ Domitori indignans cernat Iberus.
Aude etiam spes supra hominum & mortalia vota,
Intentatum aliquid: Fortunæ atque ardua Fatis
Perfice, namque potes. Nempe vt tua Facta canamus,
Vt Carmen LVDOVIX, *& Declamatio fias:*
Nominis vt sonus, & sine te duo verba triumphent.
An pridem nullum Æaciden, nullũ Hectora quæram,

Et quos alma tulit Tellus à Dijsque recentes
Dijsque homines dignos, & primi laudibus æui?
Illi abiere, vagum superest post funera murmur,
Et Virtutis odor memori collectus ab Orbe.
Relliquias tenues simulacraque luce carentum,
Rumoresque atque incertæ vestigia vitæ,
Æthera per vacuum ventoso Gloria curru
Iactat ouans spargitque; & nos amplectimur auras,
Excipimus strepitum & dubias sine corpore voces.
Sunt Voces quas Mundus amat, sunt Nomina cara
Gentibus; at veri periere & Graius Achilles
Priamidesque Hector, fatóque vrgentur eodem.
Nec iam prisca loquor, quos vidimus, abstulit Orcus.
Henricos & Mauritios, & cætera Sæcli
Lumina nox ingrata tegit, Tumulique superbi
Heroüm spoliis, nostro potiuntur honore.
In Terris Tilius non bis fuit; Impiger, audax,
Armipotens Valstinus, & ipsis durior armis,
Valstini cinis est; Sanguis vixere Deorum
Saxo Gotusque semel; Neque tu, Cælo edite Princeps,
Semper eris, superasque iacens remeabis ad auras,
Pictis vt Titulis, plausuque fruare Theatri.
Audi iterum grande hoc vestris in rebus Inane,
Litterulas paucas Martis decus, & tua quanta est,
Fama manet: Quid adhuc per mille pericula splendens
Formosumque NIHIL sequeris? Victoria tanti

Ergo erit, Anguineumque æternis ignibus vret,
Aërias inter quâ non Victoria Nimphas
Vlla fugax magis est leuiorque, & fallere Amantes
Sueta magis? Fidei, Ludouix, ne crede dolosæ
Virginis; & dotem egregiam, lacera vndique Signa
Despice, marmoreumque Caput, Chartasque loquaces,
Sertaque, & arcano lectas in monte Coronas.
Vatibus ah potius credas Ergasto & Amyntæ,
Longæuis, varioque edoctis Temporis vsu,
Nota quibus Virgo impatiens sedisque quietæ,
Perpetuique laris; preciosos vendere fumos
Læta cruore virûm, & sterilis ditissima laurus.
Si te Diua parens, si pulchra Lutetia tangit;
Si Cœli non odisti spirabile lumen,
Haud Phœbo inuisos Musisque hos consule vates,
Queis rerum est tua, prima, salus; qui visa Trophæa
Æneadum ad Tiberim, & Latio censente Senatu,
Effigies ipso Capitolî in vertice fixas;
Piramidas qui vana putant, molesque Colossorum
Insanas, rident Vulgi Miracula, moles.
Hi parui faciunt sua carmina, magnaque parui
Facta Ducum, & iustâ pendunt Mortalia lance.

AD SERENISSIMAM CHRISTINAM, REGINAM SVECIÆ,

Cùm illi Auctor Opuſcula ſua mitteret.

Fabricium hîc & Scipiadem, CHRISTINA, videbis,
Maxima, ſed Magno corda minora Patre:
Guſtauus tibi namque pater: Non Iulia tantum,
Non habuit Natum Iupiter ipſe parem.

AD EANDEM, DOCTISSIMAM ET DISERTISSIMAM PRINCIPEM.

HIC te etiam inuenies, CHRISTINA, hîc Palladis artes,
Quas colis, hîc ſummi fulmen vtrumque Patris:
Guſtauus nempe vt dextrâ ſic ore tonabat,
Et tanto exemplo charta ſuperba mea eſt.

DE ILLVSTRISSIMO LEONE, COMITE CHAVINIO.

INfans cura Poli, Fatis Leo natus amicis,
Susceptusque tuo, Gratia pulchra, sinu,
Antiquam Ausoniam & priscas lustrauit Athenas
Protinus, & fausto Sæcula cuncta pede.
Mox coluit, sanctis Sophiæ digressus ab aris,
Legiferam multa relligione Themin,
Diuosque Augustos, Latiique Oracula Iuris
Ingentis Pueri vidimus ore loqui.
Sic patrij sedit pars conspicienda Senatus,
Et iuuenem cani tot stupuere Senes,
Censendi stupuere simul fandique potentem,
Sed maiora vocant & meliora Virum;
Ingenioque Patres celeri, seque ipse relinquens,
Inuicti meruit Principis esse Manus,

Quæ

Quæ Maria ac Terras, chartis & præpete penna
Temperat, & mentem mittit vbique piam.
Iactat eum Ludouix, gaudetque Interprete tanto:
Inuitus talem laudat & hoſtis Iber.
Suſpiciunt Ciues, Sociique atque vltimus Orbis
Immenſas animi Regna mouentis opes.
Nec ſi Oſtrum Faſceſque aliàs Fortuna dediſſe
Se putet, hîc aliquid credat habere ſuum.
Vnius es Virtutis opus, ſed cui omnibus horis
Conſtanterque, Leo, Diique Homineſque fauent.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM COMITEM.

LOngæuo puer effatus qui Neſtore digna,
Vidiſti ingenio cedere noſtra tuo,
Meque aures timuiſſe tuas, cùm nomina Regum,
Et loquerer Gallos, Martia corda, Duces.
Inculti-ne tibi, modo vir, me credere vatis
Vis, Leo, ſilueſtres poſſe placere ſonos?
Haud equidem aſſumam tantum mihi, nec mea cerni
Audeat Aonias inter auena tubas.
Sed nec vbique opus eſt Mauortem accendere cantu,
Æneamque Patrem Tytirus ante fuit:
Plana petunt monte Aonides ſed ſæpe relicto:
Sæpe humiles ſubiit paſtor Apollo caſas.
Tu quoque cum Superis, bonus & Mortalibus æquus,
Grandia ad exiguum lumina flectis opus.
Sit ſatis hoc: Facili, mitis Leo, Carmine gaude,
Et Grauitas Ludos ſpernat Ibera meos.

ALCIMEDONTIS ROMANI TVMVLVS.

Is morbo obiit in Quirinali, paucis ante diebus quàm Vrbs ab exercitu Cæſariano caperetur.

SIC bene tecum actum eſt, natuſque fauentibus Aſtris,
Eriperis Sorti, vitam pertæſus, acerbæ.
At quis raptores Latij, Patriiſq; mouentes
Impia bella Deis, pugnæ manet exitus, vni
Scire licet: Non fauſta olim Titanibus arma,
Scimus & extinctum tota cum gente Typhoeum.
Nunc etiam Cœlo metuens Saturnius alto
Proxima ſæpe ferit, celſas & diſiicit Arces;
Nec dubitat Fortuna Suos damnare ruinæ,
Stanteſque Elatoſque diu, pede calcat iniquo,
Primùm Mater amans, ſed dira in fine Nouerca.
Ille ſecundus apex rerum, Mauortia proles,
Cui præda eſt quodcumque ſacrum eſt, cui Carolus iras
Commiſit ferrumque ſuum, Borbone perempto;

Ille ferox, dum viuit, habet quod victor ouansque
Corde tremat dubius pauido: Stat & ipse sub ictu,
MAIOR CAROLVS ORBE, IPSIS
SVBLIMIOR ASTRIS,
SVB QVO CVNCTA IACENT. Titulos
euertere tantos,
Tot tragicas voces, tumidi tot Inania fastus,
Vel breuis hora potest, & felix incola Terræ,
Fortunæ infidæ est ludos proiectus ad omnes.
Tu fugis hæc, linquisque Hosti loca fœta ruinis,
Spesque Metusq; Aulæ, & Curas circum alta volantes;
Linquis & infesto Patriæ, mala gaudia, ciui,
Et meritas ignominias, & Belgica iussa.
In tuto te Fata locant. Iam Mortis Asylum
Nactus, ab armata metues nihil amplius Arcto,
ALCIMEDON, nec te indecorem tua Roma videbit
Barbariem colere, ac dominis parere superbis.
Audiat hoc, frustraq; Hostis sanctæ obstrepat vmbræ,
Et Fortuna Pium vitam euasisse pudendam,
Indignumque iugum doleat turpesque catenas;
Haud te fata manent ingloria, perque iacentes
Fractosque, externamque Arctois ciuibus Vrbem,
Integer, & Stygias pergis Romanus ad vndas.

ALCIMEDON MORIENS.

TIbri pater iam Belga, & Tarpeie hacte-
nus, inquit,
Jupiter, & posthac Barbara Roma, vale:
Scipiadas quæro & Fabios, fortemque Camillum,
Jntactos Dominis, pectora sancta, Patres.
Viuam ego magnanimæ tanta inter nomina Romæ;
Viuit apud Manes Roma sed illa pios.

DE EODEM.

NON tulit ALCIMEDON captiuæ dedecus Vrbis,
Romanoque, nefas, Barbara signa, foro.
Sed quoniam tantas æger fulcire ruinas,
Aduersisque vnus par nequit esse Deis,
O Diua, extremos hominum miserata labores,
Quæ recipis fido perdita quæque sinu,
O bona Mors, succurre, inquit, dum libera Romæ es,
Nec facis Arctoï tu quoque iussa Ducis.

DE MORTE FORTISSIMI IVVENIS MARCHIONIS PISANII, AD ILLVSTRISSIMAM MATREM, CATHARINAM VIVONIAM.

ARTENICE, simili fleuit Thetis ægra dolore,
Despicit & Matres Parca superba Deas,
Non semel ausa sacros luctu violare Penates,
Ipsaque, qui vicit cæde Trophæa, Ducis.
Quicquid id est, Romano animo Sors dura ferenda est,
Nec Patriæ debes immemor esse tuæ.
Ille Tuus pulchro cecidit per vulnera fato,
Iamque habitat superas, nobilis vmbra, domos.

Fortis vbi chari præsens virtute Nepotis
Gaudet Auus, proprium plus modò nomen amans:
Pisanidem verum, atque ignes agnoscit honestos,
Queis meruit toties actus in arma, mori.
ARTENICE, hæc magni si vota fuere parentis;
Si premere hostilem sanguinolentus humum,
Reddere si Patriæ vitam, si Victor obire,
Et Domino voluit morte probare fidem,
Spes Natus, sic occumbens, impleuit auitas:
Hæc potuit tantus soluere vota Nepos.

OLOR GALLICVS.

AD EXCELSISSIMVM ET GENEROSISSIMVM PRINCIPEM, HENRICVM AVRELIANENSEM, Ducem Longauillæ, &c.

CRedo equidem, vigilo, nec me mea lumina fallunt,
In niueum ſubitò Vates mutatus Olorem
Ille meus, ſublimis agros vrbeſq; relinquit,
Nubiferaſque Alpes, Vogeſumque altamque Pyrenem,
Et non mortali rapitur ſuper æthera penna.
Jndigetum, ô HENRICE, Deûm certiſſime ſanguis,
Penna tuos hæc tollet Auos, ducetque Nepotes,
Gloria quò vocat, & Fatum virtutibus æquum.

Hæc artes Regni varias & prouida corda;
Nominis hæc decus Aurelij priscumque recensque,
Et tot gesta manu, multi argumenta Triumphi,
Henricumque mori prohibebit, & inseret Astris;
Nec melior quondam cupidi Phrygiâ extulit Idâ
Vota Poli. Modò, clarus Olor, vaga nubila tranat,
Perfususque nitet vicini lumine Solis,
Æqualis Iouis Armigero; Modo per tua rura,
Æthere descendens, tibi pulchras explicat alas,
Atque vni canit, & forti de VIRGINE narrat,
Elapsâ manibus mirans quæ Gorgone Pallas
Audiat, oblitisque attenta Diana sagittis.
Victori pridem Austrasij, qui pugnat Ibero,
Germanique Gosi, atque Itali de gente Sabella,
Exhibet innocuum, iam post fera prælia, Martem,
Grataque, post veros, pugnæ simulachra, furores;
Et doctas dat habere dies, dulcesque recessus,
A fumo procul & tumidæ clamoribus Aulæ.
O ego tam lecto accedam si tertius olim
Concilio, & puros liceat bibere aure lepores
Sancti operis, nolim fieri conuiua Deorum,
Oceanique patris Dîs inuitantibus hospes,
Ambrosia satur, & Phœbo recitante beatus.
Non ipsas Cœli, ad numeros, spatia alta mouentes,
Vincentesque sacris Phœbum concentibus ipsum,
Sirenas tum audire velim. Volscâne Camillâ,

Nescio quid simul & Romanâ Æneide maius
Expectent semper Populi? Nunquam-ne per Vrbes,
Per Fora, perque Theatra, auidis mortalibus edet
Cœlestes Olor iste sonos, poteritque vocare
Ciuis quisque suum, fietque domesticus ales?
Sic erit, & summo non inferiora Marone,
(Quippe modesta loquor, Sociique ignosco pudori)
Edet ouans; maiorque æuo, dum viribus ægrè
Stat Natura suis, senioque infirma laborat,
Effœto reddet postrema Oracula Mundo.
Tu gaude geniture Deos, genus ipse Deorum,
Et tua delectent bona te, propriique Poëtæ
Ingenium, quantos concessum munus in vsus,
Quale decus Luparæ, ac vestræ quæ gloria genti!
Si rerum sensus superest Acheronte sub imo,
Inuidet Æacidæ magni tantum vmbra Poëtam
Hectoridis, tumidique dolebunt cedere Manes.
Tanget & iste dolor Pellæi corda Tyranni.
Artificem Romana tuum sibi Nomina vellent:
Quodque tibi Aonio ponit de marmore Templum
Inuictoque DVNENSI, omnis mirabitur ætas.

AD IOANNEM CAPELANVM.

IBit in Annales nostri quoque fœdus amoris,
Et tibi me Socium posthuma Fama dabit.
O quantum dabit illa mihi, si dicar ab omni
Gente Tuus, nec nos separet vlla dies.
Sub Terris gaudebo, & clara superbiet Vmbra,
Grandior & fiet nomine nota tuo.
Cuncta mei iam iam pereant monumenta laboris,
Hoc mihi dum seruent Sæcla futura decus.

ILLVSTRISSIMO SEGVERIO, TOGATÆ MILITIÆ PRINCIPI,

EVCHARISTICON EX TEMPORE.

Vitiferi Colles, veſtitaque meſſibus Arua,
Conſciaque arcanis Antra valete meis;
Nil vos antra moror Nimpharum, & nobilis vnda,
Quà pater æterno fonte Carenta fluit:
Sede frui meliore licet, iamque aurea Templa,
Atque Palatinas aduena tango fores.
SEGVERI, tibi cura mei eſt: Mihi tu decus Vrbis,
Qui datus eſt ſeruas æquus in Vrbe locum.
Per te Santonicum potero ſpreuiſſe Carentam,
Sequanici per te littoris hoſpes ero.
O ſi adſit lyra Thebani, Dîs æmula, vatis,
(Quidni etiam noſtra percutienda manu?)

Auritos lapides & ſaxa ſequentia chordas
  Quæ dedit in muros ſpontè coire nouos!
O ſi ANNÆ ingentis conceſſo munere Fundo,
  Inſolitâ ſurgat protinus arte Domus!
Hæc ego, Sancte Solon, cupiam, non rure relicto
  Me numeret vates inter vt Aula ſuos;
Non vt Pariſias, Mundi ſpectacula, pompas,
  Et videam Anguinei clara Trophæa Ducis:
Hæc cupiam, vt caros Muſis mihi cernere vultus
  Fas ſit, & auguſto ſæpius ore frui:
Vt Genium mihi concilies, ædiſque Dearum
  Legiferâ pandas oſtia ſacra manu:
Vt Teſtis pulchræ excipiens miracula vitæ,
  Virtutes doceam ſæcla futura tuas.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM CANCELLARIVM.

HVnc hominem, credo cui ſcriptam ex tempore chartam,
Sancte Solon, noſtræ tanta eſt fiducia Muſæ,
Audeo commēdare tibi, numenq; benignum
Virginis imploro Aſtreæ, & ſolatia ſupplex
Feſſoque inualidoque peto, ne litis iniquæ
Turbine correptus, miſeros in fluctibus annos
Exigat, & fruſtra veterem me clamet amicum,
Qui charus mihi, qui multis laudatus ab annis.
Da portum ſperare, Solon, da ponere ventos;
Redde pio placidas luces, Cœlumque ſerenum,
Debita vt in ſicco ſoluat tibi littore vota.

AD ILLVSTRISSIMVM

SAMMAVRANVM,

MONTOSERII MARCHIONEM,

PROVINCIARVM INCVLISMENSIS

& Santonicæ Proregem renunciatum.

SILENTII EXCVSATIO.

VT mos est, tibi si chartas non mitto disertas,
Montoside, in tacito gaudeo quippe sinu,
Ingenuusque timor, siluitque modestia sola:
Cautus opes volui dissimulare nouas.
Factus sorte tua felix, metuo inuida Fata,
Et malè quæ mulctat verba superba Deam.
Tu modo, Montoside, nostrum decus, inclyta bello
Dextera, Phœbeæ nec minus apta lyræ,
Dic an pulchra tuum deludat opinio vatem,
Nobilis & partas somniet error opes?
Multùm credit Amans: Tibi sint si Sceptra Coronæque,
Ipse meos Populos & mea Regna putem.

DE

DE
FILIOLO PRIMOGENITO
NOBILISSIMI
SAMMAVRANI,
MARCHIONIS MONTOSERII.

HVnc tibi, MONTOSIDE armipotens, dat IVLIA Natum,
Plurimus in tenero cui micat ore Pater;
Et cui virtutesque tuas, nec fata minora
Promittit summi stella benigna Iouis.
Fortunate nimis, casto quem IVLIA amore,
Quem tanta castus prole beauit amor!

LECTORI.

VT ſequentia Poëmatia faciliùs intelligantur, præmittere viſum eſt binas Epiſtolas, quas ſcripſerat ad Speſſæum Balzacius; & in quibus habebis, Lector, vtriuſque Carminis quod tibi damus, occaſionem & argumentum. Tertium Carmen deſideratur, cuius ſpem faciunt Epiſtolæ, *Nimpha* ſcilicet *Mendax*; ſiue *Hiſtoria Hiſpana*, operâ clariſſimi Villotrei è Gallico Balzacij, Latinis verſibus expreſſa. Elegantiſſimum ſed longiuſculum Poëma eſt, quod in ſingulare volumen reiecimus, vbi non pauci de Auctore & ad Auctorem verſus: Hîc enim maiori quàm par eſſet numero, atque alieno in loco poſiti, materiam iocandi præberent hominibus non inurbanis; audiremuſque illud forſitan de hac noſtra iam Republica, *Apud vos plures ſunt Peregrini quàm Ciues.*

A MONSIEVR D'ESPESSES, CONSEILLER DV ROY EN SON CONSEIL D'ESTAT ET PRIVE'.

MONSIEVR,

Vous me faites bien languir. Il y a plus de quatre mois que i'attens nostre Traduction. Ie l'appelle nostre, parce que vous l'aués faite dans ma chambre & sur mon papier; & ie la pourrois appeller mienne, par vne regle de Droit, qui adiuge la superficie au fonds, si ie ne me souuenois de cette exception que l'Empereur y adiouste, en faueur des excellens Artisans, *Nobis contra videtur melius esse tabulam cedere picturæ. Ridiculum enim est picturam Apellis vel Parrhasij*

in accessionem vilissima tabulæ cedere. Il ne faut pas presser vn homme, occupé à de plus importantes affaires : Quand il vous plaira neantmoins, vous acheuerés celle-cy, & nous ferés voir si nostre langue est capable de conseruer à Terence cette noblesse de stile, & ce charactere de Scipion & de Lælius, que le Peuple Romain y remarquoit. Cependant, MONSIEVR, pour vous demander auec plus de droit, ie vous donne quelque chose; Ie vous enuoye des Vers que ie receus dernierement d'vn de mes amis d'Angleterre, qui en accuse les Muses des Païs-bas. Vous y estes interessé en quelque façon, parce qu'ils doutent de la foy d'vn Autheur, qui se nomme *l'Indubitable* chés vous, & qu'ils offensent le iugement que vous aués rendu de la certitude de son tesmoignage. Mais les Flamans ont bonne raison de desirer vne si scrupuleuse verité en nos Nouuelles; eux qui sont les plus fabuleux Historiens de ce Siecle, & qui la plus-part du temps ne debitent que des Relations apocrifes. En changeant seulement les noms propres de leurs Vers, nous leur pouuons rendre toutes leurs railleries. On peut dire iustement de leur Gazette, ce qu'à tort ils ont escrit de la nostre; & leur apprendre de plus que celle de laquelle ils veulent rire, est estimée au dernier poinct par la plus ingenieuse Nation du monde. Il est tres-vray que les beaux esprits de

Rome en admirent les pointes & les bons mots, & Monſieur l'Abbé de *** m'aſſeura à ſon retour d'Italie, qu'il auoit eſté conclu dans l'Academie des Humoriſtes, que chaque Article de la Gazette de Paris valoit vn des Chapitres de Florus ou de Valere Maxime. Ce ſont, comme vous ſçaués, des Epigrammes en Proſe, & l'Arreſt de ce fameux Tribunal eſt vne puiſſante defenſe, contre les attaques de ce nouueau Poëme. Ie vous ſupplie de le vouloir communiquer à Monſieur Gaumin, & aux autres Iuges des Lettres Latines, afin que nous ſçachions le gouſt de voſtre grand Monde, & ce que nous deuons croire dans les Prouinces. Il me ſemble que la deſcription du Bureau d'adreſſe a eſté tirée ſur le plan de la Maiſon qu'Ouide a baſtie à la Renommée. Mais vous nous ferés là deſſus & ſur tout le reſte, de tres-amples & de tres-doctes Obſeruations, & ie me promets de receuoir en meſme temps vne Traduction & vn Commentaire. Ie ſuis auec paſſion,

MONSIEVR,

Voſtre, &c.

Le 25. Nouemb. 1636.

A MONSIEVR D'ESPESSES, CONSEILLER DV ROY en son Conseil d'Estat & Priué.

MONSIEVR,

Depuis ma lettre escrite, ie me suis auisé qu'en reuanche de *Nympha Loquax, siue Gazeta Parisiensis*, on pourroit enuoyer aux Païs-bas *Nympha Mendax, siue Historia Hispana*; & en dire des choses assés plaisantes. Premierement il faudroit la faire naistre de l'inceste des Geans auec la Renommée leur Sœur, à cause des mensonges superbes & magnifiques, dont elle abuse la credulité des simples. Et veritablement l'orgueil naturel de la Nation, qui paroist iusques dans la misere de ses Gueux, & les Rodomontades qui luy sont si propres, que ses Complimens mesmes

en retiennent quelque odeur, sont bien dignes d'vne si illustre Extraction, & de descendre en ligne directe d'Encelade, de Mimas, & de Briarée. Cela posé, & enrichy de vostre art, ie voudrois que cette Fille des Geans fist accroire aux Indiens, & aux Niais de l'Europe, que le terme de la Monarchie vniuerselle, promise à l'Espagne, escherra l'année prochaine, qui doit estre la Climaterique de tous les autres Estats. Que Dieu veut qu'il n'y ait plus qu'vn Souuerain sur la Terre, & que le Pape mesme s'accommode de Rome auec luy, & la permute pour l'Archeuesché de Tolede. Que la bataille où fut tué le Roy de Suede, fut le dernier sanglot de la Liberté mourante; Que ce Prince n'a pas esté ce que nous pensons; Que dans les actions que nous auons admirées, il n'a rien fait que par le secours de la Magie; estant armé de charmes & de characteres, & assisté de toutes les puissances de l'Enfer, mais qu'à la fin le Diable se trouue foible & impuissant contre la maison d'Austriche. Qu'afin que les causes secondes & les moyens humains contribuent au dessein de la Prouidence, les affaires se disposent d'elles-mesmes à ce changement chez les Estrangers. Que le Roy d'Angleterre n'est point si glorieux, qu'il ne veüille bien estre Feudataire du Roy d'Espagne; & qu'au pis aller on ne manquera pas d'excellens Poudriers, pour le faire sauter auec les

Estats de son Royaume. Que les cendres de la Sainte Ligue commencent à se rallumer en France par le souffle d'vn Moine zelé, & par les libelles qui viennent d'Anuers; Qu'on a fait marché auec des Ingenieurs secrets, qui promettent de fortifier la Rochelle en vne nuict; Que le Duc Charles doit auoir bien tost sa reuanche de Nancy, & tient desia Paris à l'extremité. Que s'il n'y a encore garnison Espagnole dans Thurin & dans Cazal, ce sera quand il plaira au Roy Catholique, & quand les Ducs de Sauoye & de Mantouë seront rentrés en grace auprés de luy. Qu'il ne veut point de Venize ny d'Amsterdam, parce qu'vn Illuminé de Madrid, & vne Sybille de Naples, l'ont asseuré que la Mer engloutira vn de ces iours ces deux grandes Villes, dans lesquelles il seroit fasché de perdre les Espagnols qui y commanderoient. Qu'il auroit puny il y a long-temps les Rebelles de Hollande, si des considerations d'Estat ne l'en empeschoient; Mais qu'il conserue ce Païs de contradiction, comme le Manege & la Sale d'escrime de ses legitimes Subjets, afin de fuir oysiueté, & de les tenir en haleine par vn exercice continuel. Qu'au reste quand le Monde ne seroit pas si aisé à vaincre, il a dans ses coffres dequoy l'acheter. Et en cét endroit, MONSIEVR, il faut que la Fille de la Renommée & de son frere Encelade, grossisse sa voix, & encherisse sur

ses

ſes premieres Figures. Il faut que d'vn coup de plume elle face plus d'or que le Soleil n'en ſçauroit faire en mille ans; Qu'elle donne de la peine aux Vents, & contraigne l'Ocean de gemir ſous les nouuelles Flotes, qui à ſon conte, arriuent reglément tous les mois à Liſbonne & à Seuille. Il faut qu'elle deſcouure, s'il eſt beſoin, de troiſieſmes Indes, & trouue toutes les Mines cachées, ſans excepter meſmes celles-là, qui ſeront du Domaine de l'Antechriſt, & que luy gardent les mauuais Demons, que Saint Auguſtin appelle pour cét effet *incubones Theſaurorum*, &c. Ne voilà que le deſſein confus d'vn Ouurage qui attend de vous ſa derniere perfection, & que vous auriés bien toſt acheué, ſi voſtre humeur Poëtique vous vouloit prendre. Il y a matiere, comme vous voyés, d'vne celebre Ironie, & dequoy la continuër iuſques à cent vers & à dauantage, pour peu que le ieu vous plaiſe, & pour peu de broderie que vous mettiés ſur l'eſtoffe que ie vous preſente. Ie ſuis,

MONSIEVR,

Voſtre, &c.

Le 27. Nouembre 1636.

NYMPHA LOQVAX,

SIVE

GAZETA PARISIENSIS

ANNI 1636.

SEquanicam ad ripam, tota eſt ex ære ſo-
nanti,
Tota fremit Sedes, & nulla ſilentia nouit.
Excubat ante fores, captatq; ignobile vulgus
Nubila hians, auidoque auras bibit ore recentes.
Interiora Domus tenet audax fingere Virgo;
GaZetam dixere Homines, linguâque Deorum,
Nomen habet Nymphæ, ſic nos docuere, Loquacis.
Rumorum vaga turba illi de more miniſtrant,
E quibus hi ſine mente ſonos, & murmura voluunt,
Hi variis patulas implent ſermonibus aures,
Hi chartis mandata ferunt, menſuraque ſcripti
Creſcit, & exiguæ gaudent ſe extendere voces,
Syllabaque innumero prægnans ſoboleſcere partu.

Hîc bona Credulitas, populoque innoxius Error,
Multaque Lætitia est, omnique ex hoste Triumphi,
Et totis volitant vigilantum somnia tectis.
Hîc rerum simulachra, & pugnæ agitantur inanes,
Et picto recalent longinqua fluenta cruore,
Atque alieni agri narratis oßibus albent.
Instantem Augusto ferali crine Cometem
Sola videt, sacrisque infesta Penatibus Astra;
Hunnoque, Austriacoque, Infantique, Archiducique
Æterna exilia, & constantes Ætheris iras,
Ni sapiant, iussæque velint subscribere Paci.
Quales Diuæ oculi, & quarum spectacula rerum!
Rimatur mentem Allobrogis, cæcasque latebras,
Et dubium Bauari ingenium, ambiguosque recessus,
Pectoreque vltrices gestantem Saxona Diras,
Nosse Fidem monitum, & testes non temnere Diuos.
Threicia videt Oceanum sub classe latentem:
Arma viri, ferte arma; videt fera cornua Lunæ,
Auroræque leues populos, Lybiamque sequentem,
Atq; iterum ad pulchram properantis castra Viennam
Barbariæ, & versis cedentia mœnia Fatis.
Sarmatiam interea exercet ciuilis Enyo,
Et venturus Eques nequicquam optatur ab Vrsa;
Præcipitesque ruunt in mutua funera Persæ:
Quippe fauent, Hispane, tibi: Videt omnia dira,
Omnia sæua Tuis: Tibi nec sperare per illam

Aut ventos faciles, & amicum puppibus æquor,
Aut licet æstiuo claras sub sidere luces.
Nec modo quid Tellure noui Pelagoque geratur
Aßiduè explorat, nostrumque inquirit in Orbem;
Vlteriora petit: Tardosque ad iussa ministros
Rumores multùm increpitans, timidasque volucres,
Ignauamque vocans & inerti corpore gentem,
Ipsa ardens, atque Æoliis pernicior Euris,
Supra Anni Solisque vias & sidera nota,
Fertur remigio alarum, & cœlestia linquens
Limina Semideis, & Dîs penetralia Cœli
Semotasque domos, summam Iouis occupat arcem,
Non nisi quò iussæ veniunt Pallasque Cyprisque,
Supremo natæ soboles gratißima Patri.
Illa tamen, fortis vetitam perrumpit ad arcem,
Intactas violat sedes, nil linquit inausum,
Iunonique suæ narrat quæ frater in aurem,
Lætior & multo perfusus nectare frater
Audit, Coniugiique arcanos ventilat ignes.
Hîc supera alta tenens, tantarum & conscia rerum,
Quæ nondum scripsere legit Saturnia Parcæ
Decreta, & canæ excipiunt dictante Sorores
Fata Deâ, obscurique patent secreta Tonantis.
Hîc etiam memor irarum patriique doloris,
Orantesque licet veniam auersata Philippos,
Sedula venturi tabulas dum digerit æui,

Ordinat & Clades poſt ſæcula multa futuras,
Non Belgæ, qui forſan erit, non parcit Ibero,
Qui ſperatur adhuc, nudi quoque nominis hoſtis.
Nec Scaldim Belgæ, nec Ibero cedere Bætim
Suſtinet, aut aliqua Regnorum in parte latere
Impacata ſinit miſeros. Ita poſtera Bella
Iam gerit, & Gentes etiamnum in ſemine delet.

GAZETA PARISIENSIS, DICTA IN BELGIO NIMPHA LOQVAX HOSTI TOTIES VICTO.

Sim tibi NIMPHA LOQVAX, etiam
post damna, Superbe,
Dum me facundam Roma togata vocet,
Dum referant mea verba Patres, Venetûmq; Senatus,
Impleat & dominas pagina nostra manus.
VÆ VICTO gemina potuissem scribere voce;
Sed licuit longam latius ire necem,
Totque tuas clades non vna includere charta:
Sic tibi sim per te, NIMPHA, Superbe, LOQVAX.

DE HYPERCRITICO GALESO. AD ÆGIDIVM MENAGIVM, LVDVS POETICVS.

VEra mihi narras, an ludit amabilis error,
MENAGI, laudis cupidum & virtutis egentem?
Nimirum non difficilis, non aure superba
Excepit, cecini patriæ quæ transfuga linguæ,
Atque aliquid nostras putat esse in carmine nugas,
Arbiter ille Lyræ, prisci germana propago
Ille Remi, multa cultissimus arte Galesus.
O quantùm tamen ille sapit, quantúmque veremur
Nos rerum extremis Aquitani in finibus orti,
Cuius Roma notas & dulcis Hetruria sensit:
Per quem non licet indocto prodire Poëtæ,

Et Lugdunensi scopulus qui durior Arâ,
Apparet nimiùm chartis metuendus ineptis.
Hoc, pœnas, Censore, noui dat prodiga luxus
Nasonis Musa, & mores iam vellet auitos:
Hoc Flaccus suus ac melior, dignusque Marone
Fit Maro, nec patitur deformis damna senectæ.
Hic vaga luxati componit membra Terentî,
Detersaque omni labe, & squalore remoto,
Iucundos oculis orique aspirat honores;
Gratam Scipiadæ curam, & quam Lælius optet!
Quid maius dedit hæc ætas, quidve amplius addam:
Nulla virum fraus nulla fugit, neque longa vetustas
Erroris, tantum in dubiis frustratur acumen:
Sic certo ingenuos explorat lumine versus,
Sic spurios iubet ire foras, Pindoque relegat,
Anseribus Bauiisque obscura in nocte futuros
Æternùm comites, Stygiove in gurgite ranas,
Murmur ob ingratum & raucam sub Sole querelam.
Fasces ille tamen, Musarum in monte, timendos
Ostentans, & Sceptra tenens inimica Profanis,
Lenem animum in nos accepit mentemque benignam,
Candide MENAGI, tibi credimus, ac minus vti
Iustitiâ voluit, veterem miseratus amicum.
Et potuit flecti, sontesque absoluere versus;
Et celebrare etiam, & sacras promittere lauros
Ereptis flammæ vltrici pœnisque reorum.

Felix

Felix ſorte ſua tuus ergo exclamet Amyntas,
Ipſe nec arte valens multa, nec cultus Amyntas,
» *Tune meos luſus voce vt laudaueris illa,*
» *Quam docti indoctique tremunt, quâ fortius Orbis*
» *Nil habet, auditâ quâ Fama ſilentia ſeruat,*
» *Aut plaudit dicenti & verba cadentia tollit,*
» *Enceladi quamuis ſoror, Enceladoque ſuperba?*
» *Haud me equidem tali, fateor, dignabar honore,*
» *In ſiluis quandoque malum diſperdere carmen,*
» *Et tenuem ſolitus non aptè inflare cicutam.*
» *Sed tibi nec grates laudata referre cicuta,*
» *Nec poterit niſi te in cantus numeroſque vocare,*
» *O præſens Phœbo abſente & ſpectabile numen,*
» *O priſci columen Latij, ô ſpes vltima Romæ,*
» *O cui feſta, datam quondam teſtata ſalutem,*
» *Propter ſeruatos debetur Ciuica vates.*
» *Non ego virtuteſque tuas tuaque inclyta facta*
» *Tantũ opus aggrediar; Modo dicere ſed tamen auſim,*
» *Te fera Barbaries, Te cæca inſcitia veri,*
» *Quamquam audax fidenſque ſibi, non ſuſtinet hoſtem.*
» *Per te Monſtra cadunt. Tota ſpectante corona*
» *Semideûm, qui vel nati melioribus annis*
» *Redduntur tabulis, vel quorum tangere dextras*
» *Spiranteſque Thuana domus dat cernere vultus,*
» *Tu tua bella geris: Tu noſtri incommoda ſæcli,*
» *Progeniemque Getarum, & falſos Vrbe Quirites*

» *Exigis; Et ſanctas reuocans ab origine leges,*
» *Auſoniumque legens veteri de more Senatum,*
» *Intonſi cenſes cum religione Catonis.*
Hæc tibi pacato quæ ſunt referenda Galeſo,
MENAGI, meliora tuâ reddentur ab arte,
Cùm referes: Fieret tam grato interprete Celtæ
Carus Iber; ſed & illa probo Venus inſidet ori,
Illa Venus tingens facundas Nectare voces,
Auerſum poſſet quæ conciliare Galeſum.
Poſſet & Orbilio ferulam extorquere minacem;
Poſſet Grammaticos Genoueuæ in colle Tyrannos
Flectere, Mamurræque animos mollire ferocis,
Durius huic quamuis ferro caput, ilia circum
Æſque triplex, teneros venis excludat Amores.

EVRIALVS RVPELLENSIS.

Qui in certamine nauali, contra Regium exercitum fortiſſimè dimicans, tandem viribus exhauſtis, alieno & ſuo ſanguine reſperſus, nec victor nec victus, præceps in mare cecidit.

EVRIALE, ad Rheni primum mihi cognite ripas,
Cùm nos ſanctus amor Phœbi, & communia Sacra
Iunxere Aonidum, te-ne his agnoſco ſub armis?
Hæc-ne lyra, hoc plectrum eſt? Has nigro fœda cruore
Dextra fides tractat? Quod te tibi Numen iniquum
Eripit? Ardentes flammis quæ te egit in vndas
Tiſiphone, Populique inſani cœca cupido,
Et Libertatis mentita Licentia nomen?
Vrbs Maris Imperium affectans, votiſque ſuperba,
Quondam opibus nimis auſa ſuis, iam certa perire,
Decreto damnata Poli, ſua fata moratur
Tantillùm, & rabiem expirans effundit inanem.

Tu verò in Luparam ſummumq; armatus Olympum,
Impauido ſtans corde, manuque ad funera nata,
Regum hoſtis Diuûmque, & Sceptra & Fulmina temnis.
Ah quanta virtute ſcelus defendis, Amice,
Quam fortis Reus, atque iniuſto qualia Marte
Neptuno mirante geris! Pugnare ſed atra
Vlterius te Parca vetat: Cadis acer in æquor,
Multa cæde madens, caſu quoque nobilis iſto.
Et tales miſerata animos Victoria, tantæ
Inuidiam refugit mortis, propiorque dolenti,
Fatum in te ſæuire, aduerſaque Sidera cernit.
Spectatrix rerum illa manet: Tu Naufragus ingens
Obrueris toto Oceano, ne vincere poſſit
Eurialus, Superos vetitis qui læſit in armis,
Nec victi quiſquam Euriali ſe funere iactet,
Martia quem virtus Superis æquauit & ipſis.

IN EFFIGIEM DOMINÆ DE BOVTEVILLE, MATRONÆ SINGVLARIS EXEMPLI.

Nomina grata Orbi, Populis tot ſancta per annos,
Alceſti, Halcyone, voſque ô Romana propago,
Scipiadis dignæ vxores, magniſque Camillis,
Cedite Virtuti quam cernimus: Hanc ſua iactet
Gallia, præque aliis vnam mea Muſa loquatur.
Sit ſatis interea MEMOREM dixiſſe BONAMQVE,
Seruantemque alto primas ſub pectore flammas.
Qui fontes oculorum, & quæ conſtantia luctus!
Qualis honor, quanta in Manes reuerentia mutos!
Et cinerem lachrimis rigat atque accendit amore,
Et tota in mortem fertur, nec iam amplius vllum
Eſſe diem vitæque putat cœleſtia dona.
Viua tamen ſupereſt, vt inanem diligat Vmbram
Igne pio, nudumque colat poſt funera nomen,
Aut Coniux æterna viri, aut æterna Sacerdos.

DE MARIA GORNACENSI, AD MARCVM ANTONIVM MOLSAM.

IPsa suæ pinxit se Virgo coloribus artis,
Artificis petitur cur aliena manus?
Vim nostris inferre paras cur, MOLSA, Camœnis,
Meque tibi versus annumerare iubes?
Longæuam multo dicam si carmine Vatem,
Hoc vnum multo carmine, MOLSA, leges.
MONTANI SOBOLES ET PHOEBO PLENA SACERDOS,
FILIA DIGNA PATRE EST, DIGNA SIBILLA DEO.

AD MELIBOEVM, NISAM COELO RECEPTAM INTEMPERANTIVS LVGENTEM.

Ciuis Nisa Poli, Superûm si Nectare gaudet,
Pulchrior & facta est lumine tincta nouo,
Ergo tuos Phœbus videant & Cinthia luctus
Æternùm, & plores sic, MELIBOEE, Deam?
Hoc scelus est; Cape thura, & nimbos funde rosarum,
Non sitiunt lachrimas Numina casta tuas.
A te culta, coli semper, vult semper amari,
Te Miserum semper flere Beata vetat.

FRANCISCI MAINARDI,
VIRI CLARISSIMI,
POETÆ ELEGANTISSIMI MEMORIÆ.

ET tu Palladiæ decus immortale Tholosæ,
Quo pater exultans vate Garumna tumet,
Bentiuolo erepto Terris, post funera magni
Grotiadæ, Ditis tertia præda iaces?
Nam tibi si Tituli & Fasces & defuit Ostrum,
Principibus iungit te tamen Aula viris,
Quæque habet Alcippum, quæ Chlorida semper in ore,
Luget delicias, te pereunte, suas.
Sic subitus nos linquis, & vmbra es, culte Poëta,
Tantillam potui nec meruisse moram,
Vt præsens suprema darem capiti oscula caro,
Diceret ac moriens vt mihi lingua, vale?

Hoc ſperabat amor ſaltem infelicis Amyntæ,
Sed properans dirum Parca peregit opus.
Sæua, inopinà meum rapuerunt Fata ſodalem
Me procul. Ah noſtras fors timuere preces,
Mercuriumque Deaſque meas, Phœbumq; rogantem,
Artibus & quotquot Numina docta fauent.
Eſt aliquis pudor & Fatis: quamquam impia, poſſet
Nil tot ſupplicibus Parca negare Deis.

Libri Primi Carminum

FINIS.

IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII CARMINVM, LIBER SECVNDVS.

HYLAS REDVX.

GAude, grate Amnis Cœlo, & vos plaudite Nymphæ:
Dulcis Hylas rediit, vestris sat cognitus antris,
Quem toties lætæ audistis tam pulchra canentem,
Cùm vobis Fluuioque pudicos crederet ignes,

Syluiaque & Galatea nouo tunc flore niterent.
Ille Meus rediit, rerumque valere potentem
Iussit Heram, quæ cœca bonos crudeliùs vrget,
Virtutemque premit seruam, & Fortuna vocatur.
Venit Io, subiitque annosi tecta Menalcæ,
Atque iterum Vrbe procul, Musas inuisit agrestes.
Redditus hîc sibi, se viuum miratur, & horret
Illecebras Diuæ infidas blandumque venenum.
Hic fluctus pelagi & monstra & discrimina narrat,
Et casus vix præteritos & vincla soluta.
Incipit hic Circen paulatim abolere superbam:
Longa Palatinæ potare obliuia vitæ
Mox perget maiore siti, ac mutabitur omnis,
Nec sua iam vota & miseros agnoscet amores.
O bona mens, patere Erronem sub signa redire,
Atque Aulâ fugisse tuum, fumosque micantes,
Et lucem ambiguam, & strepitus contemnere rerum;
Mecumque ad Tuparæ fontes viridisque Carentæ
Pura fluenta, almi laudare silentia Ruris.
FLVMINA AMEM SILVASQVE, meus vero audeat ore
Tandem dicere Hylas, nostro præeunte Marone.

HYEMS.

HOrtorum cecidit decus omne, & gloria ruris;
Omnis ager nudatur, adest fœdissimus annus,
Iam meus hostis adest: Validas opponite siluas
Huic pueri, ingentique hostem focus arceat igne;
Ingens mî placet, exiguum tibi cedo, Tibulle,
Fatum cui dederat tepido sub sidere nasci.
Durities Iouis hæc nostri, hæc vis aspera Cœli est,
Non nisi quod multis possit mitescere flammis:
Nec blandas hiemes & mollia frigora Galli
Nouimus, Arctoæ populus vicinior Vrsæ.
O Soles Romani, & amabilis angulus! Illic
Flore coronatus vario calet ipse December;
Et Ianus pater Autumno non inuidet vuas.
Me cùm ripa Anienis, & vdum Tybur haberet,
Legi ego purpureasque vuas, & serta rosarum
Texui: In Ausoniis deformis Bruma furebat
Montibus interea; Et glaciem spargebat acutam
Densasque ore niues, non longè à Tyburis vdi

Finibus, horribilis Boreas, loca proxima terrens
Mugitu, pulchram vetitus ſed tangere ripam.
Non Celtis ſic parcit Hyems: Hic impete magno,
Et latè dominatur, & omnes vndique campos
Infeſtos tenet, & nullum formidat Aſylum.
Vix tuti patriique Lares Diuique Penates,
Vix Focus eſt immunis, & aëra mulcet acerbum.
Eſt à fronte Focus, recreans propiora calore;
A tergo inſurgit ferus ille & ſæuior inter
Aërios fratres Boreas, qui corde latentem
Ipſo animam penetrat. Triſte ingratúmque ſonantis
Audio circum tecta minas: Iamque occupat Arcem,
Iam mihi bella mouet præſens. Me ſeruet ab Hoſte
Plurima ſilua meo; Sed ſi mala frigora pelli
Haud aliter poſſint, iniectus Turribus ignis
Ardeat, & totis volitent incendia Tectis.

DE MORBO SCARRONIS,

AD ERVDITISSIMVM COSTARDVM.

SI mihi fas rerum cauſas aperire latentes,
Et tecum ritè humanos expendere caſus,
Aut cœleſte aliquid, Coſtarde, Aſtriſque propinquum
Morbus hic eſt, ſuperoque trahit de lumine lucem,
Aut ſeruant immota ſuum Bona vera Serenum,
Statque ſuper proprias Virtus illæſa ruinas.
Tandem igitur, voti compos, gens Stoïca, REGEM
Cerne TVVM: Faſces tenero ſubmittite vati
Sublimes tragicique Sophi, Zenonia proles.
Nulla hic larua Boni, nulla eſt Virtutis imago;
Ipſa habitat ſub corde iſto. Ne, quæſo, Magiſtri,
Vos pudeat Decreta humili poſtponere ſocco

Grandia, & ampullas verborum, & nomen Honesti
Magnificum: Veras audite in carmine voces,
Quod facilisque hilarisque ægro dictauit Apollo.
Scarro æger, Scarro infando data præda dolori,
Non Fatum crudele, Iouem non clamat iniquum;
Iratis parcit Superis, Sortique malignæ,
Et patitur sæuas inuicto robore pœnas,
Iucundumque effert dira inter spicula vultum.
Nec simulat Scarro, personamque induit illam;
Nec primis risum labris delibat amarum,
Tota mente furens; vt FORMIDABILE RISIT,
Contemptor Superum Capaneus Cœlique tonantis:
Impius vt risit mistâ MeZentius irâ;
Sed purum, sine fraude, & laxis ridet habenis.
Dicam iterum, namq; haud satis est dixisse Trium-
Heroasque semel: Placeat repetita Sophorum (phos,
Fabula, & hinc seri discant gaudere Nepotes.
Scarro meus, mihi quippe tuum, Costarde, dedisti,
Qui salsa, ingeniosa ægro de pectore promit,
Qui ludit Cœum, Enceladum, vastumque Tiphoea,
Terrigenasque alios festiuo carmine fratres,
Viuitne infelix te iudice? An ille Beatis
Sic Miser inuideat? Scurra ille facetus Olympi,
Et Conuiua Iouis, cùm Natio læta Iocorum,
Cùm Satyri Nymphæq; adsunt, Superisque ministrant,
Plurimaq; Ambrosia est, & inundant Nectare mensæ?
Audiat

Audiat hæc Orbis, non inficiante Cleante,
Atque iterum iuuet atque iterum dixiſſe Triumphos;
Scarro meus, lecto qui quamquam affixus inerti,
Captiuoſque pedes æterna compede vinctus,
Aſſiduis ſacro Muſarum in Monte choreis
Indulget, pedibuſque aliis ſe tollit in auras,
(O quantùm facileſque pedes, numerique ſonori!)
Magnus erit REX ILLE SVI, quem dira coronet
Porticus, & rigidi vox imperioſa Cleantæ.

AD PETRVM ANTONIVM MASCARONEM,

DISERTISSIMVM IN AQVENSI CVRIA PATRONVM, CANDIDATVM STOICÆ SECTÆ, DECLAMATOREM EXIMIVM.

MAssiliæ decus, & patrij spes magna Senatus,
MASCARO, noſce bona ingenij, & quæ Sæcula priſca
Immenſis fœcunda opibus, quæ docta dedere
Graiumque Æneadumq; tibi Monumenta Sophorum.
Ille volans procul à Terra & mortalibus ægris,
Ille Deis patrique Deûm ſe Stoïcus æquans,
Hæredem ſibi te inſtituit, præque omnibus vnum
Res voluit tractare ſuas, & Dogmata ſancta.
Illa ferax Senecarum, ingentibus ardua dictis,
Quæ Plebem fugat & timidas à limine mentes,
Porticus illa ruens, in te inclinata recumbit.

Extinctis pridem Senecis, succede labori,
MASCARO; Te decet istud onus: Facundia campum
Eligat hunc animosa sibi, causasque sepultas
Graiumque Æneadumque profundi è faucibus Orci
Eripe, & has iterum Celtis plaudentibus ora
Romæ reliquias, Libertatisque cadentis
Singultantem animam Brutorum in clade suorum;
Iratum Superis Magnum, Manesque petentem
Cum gemitu, & quicquid crudeli exercita Fato,
Scipiadum soboles, Astris Cornelia dixit,
Vltimaque expectant morituri verba Catonis
A te vno Celtæ, & culti pars cultior Orbis.
Conradus meus ante alios, cui magna sagaxque
Vis animi, vis mentis inest, cui copia fandi
Haud minor; Alcidesque parens, quem pura docentem
Suspexi Sacra Christiadum; atque insignis vtraque
Pallade Scuderides, & Musa beata Metelli.
Nec te MASCARO facundus generosa silebit
Porcia, dum nuribus præbes exempla Latinis,
Dignaque conspicitur Patria, Patre, Coniuge virtus;
Non ille, ardentes auido quas ore bibisti,
Quasque etiamnum horret, miraturque Aula, fauillas,
Prætereat tacitus: Paucas mea Gallia Matres,
Tales Aula Nurus, &c.

AD ERVDITISSIMVM
SETONIVM,
DE REBVS SVIS DESPERANTEM.

SORS licet immeritum laceret, Fatoque premente,
In te vix habeat iam noua plaga locum,
Spes, Seto, te curet lacerum; sit nescia Sorti
Cedere, in extremis sit Dea sancta malis.
Hac suadente, iterum credit se Naufragus vndæ,
Nec memor amissam cogitat ante ratem.
Despicit hac solante hostem Captiuus acerbum,
Atque etiam in vinclis altera bella parat.
Infaustum Reus ad lignum de carcere ductus,
Sperat ab aëriâ posse redire cruce.
Tu tamen, ô Phœbi, dubitas sperare, sacerdos,
Docte Seto, in Terris Nectare digne Seto,
Qui non Oceani, non Belli aduersa lacessens,
Supplex innocuas tendis ad Astra manus.
Cur nolis sperare bonus, melioraque fata
Tandem habeas, canos ornet & Aula tuos?
Spera: Vt Apollo fauens, erit & tibi Iupiter æquus:
Credimus, aut nullam credimus esse Themin.

DE

ELEGANTISSIMO POETA,

AVLICO INFORTVNATISSIMO.

QVem socio gemitis luctu, pulcherrime rerũ
Sequana, Nimpharum tuque Carenta parens,
Pieris hunc aluit, puerique magister Apollo
Aptauit teneras ad sua plectra manus:
Ora suis finxit monitis: Ingentis alumni
Iam dabat & laurum crinibus ire suam:
Certè nemo fuit, de tot poscentibus æquum,
Cui durus fuerit difficilisque minus.
Ille etiam incedens sacra per vestigia Diui,
Nuper in ignoto fixerat Orbe pedem,
Sublimisque animisque valens, sed cautior ibat,
Pendentes scopulis Arte docente vias.
Ars Genium regit & vires: Hanc Græcia vidit
Et Latium, hanc tandem Gallia nostra videt.
Alcippi insolitos dedit Ars tibi, Gallia, cantus,
Dulce magis cecinit nec Venusinus olor,

Nec cui Sicelides dictarunt carmina Musæ,
Tytirus in siluis Consule digna canens.
Felix Vrbe procul sic Tytirus alter agebat,
Et nemora & colles & sata læta sonans,
Chloridos & molle imperium facilesque catenas,
Quæque suis seruat gaudia mitis Amor.
Hæc pinguis roseo & nitidus fundebat ab ore,
Audiit hæc fluuij plurima Nimpha mei.
Cum subitò malesana virum sententia vertit,
Instabilem mentis pœnituitque bonæ.
O malè susceptumque iter exhaustosque labores!
O nimium votis credula corda suis!
Desertâ infidam sequitur dum Chloride Circen,
Et Nemorum oblitus, suspicit Vrbis opes,
Amplius & Vates non iam interpresque Deorum,
Sed miser & querulus Præco Theatra petit;
Dum se fallit hiantem, & sero & debilis annis,
Mancipium Circes sustinet esse nouum,
Occidit, heu, propriisque dolis Circesque veneno,
Regali veniens siccus ab Arce Senex.

DE INVICTISSIMO HEROE, BERNARDO VVEYMARIO, POST VICTORIAS MORBO EXTINCTO.

HEV misera, heu Diuis vota exaudita malignis,
Et Iouem ad auersum, Marte fauente, preces!
Cæsaribus victis, post fractos semper Iberos,
Armipotens, nullo vulnere Saxo cadit;
Spesque noui Imperij, Sortemque relinquit amicam,
Incipiens fato nobiliore frui.
» *Quid Virtus toties laudata, & sæpe triumphans,*
» *Tunc ait, & Laurus sanguine pura meo,*
» *Gloria quid prodest stupefacto cognita Rheno,*
» *Vincla trium vidit cum simul ille Ducum?*
» *Tu frustra mihi Mars socius, si Iupiter hostis,*
» *Nec potes iratum conciliare patrem.*

LOGÆA,
SIVE
NIMPHA HOSPES.

HÆC est Sequanico veniens à littore Nimpha,
Hospite qua paruus sidera tangit ager,
Et Lemouix Latio & Graiæ nõ inuidet oræ,
Nec quamquam Agrestes, Barbara turba sumus.
Vindicet hanc sibi Thusca Charis, sibi Musa Quirini,
Gallica iure suo ni velit esse suam.
Hanc Sophiæ gens sancta, & Rhetor suspicit omnis:
Princeps Grammaticas temperat vna Tribus:
Vna scit in chartis specioso vt sana tumore,
Et Tragicis dictent fortia verba minis.
Nouit inurbanum lepido seponere dicto,
Plena quidem multi, parca sed illa salis.
At vos, ô sacri Vates, certo æstimat ore,
Diuidit & iusta præmia vestra manu,

Vobis

Vobis laurea ſerta, immortaleſque amarantos,
Victuram & laudem quam meruiſtis, habet.
Ergo quid inſulſi petitis ſuffragia Vulgi,
Aulicus & tanta quæritur arte fauor?
Quæ canitis viuent, ſi docta probauerit auris,
Laudatoſque colet poſtera turba ſonos.
Sed ſi quando canat, Sappho audi, & diſce pudorem,
Te melius ſaluo Nimpha pudore canit.

IN OBITVM EIVSDEM,

Quæ, dum viueret, Vrania & Cœlestis à Malherba & Balzacio dicta est.

TV quoque obis, quâ sæpe Noti siluere loquente,
Et tumida insani concidit ira Maris;
Quâ vicina animos posuit mulcente feroces
Barbaria, atque ipsæ ferrea corda feræ?
Dicam-ne aduersas venisse in fœdera turmas,
Vnius & partes vtraque Castra sequi,
Romanosque Apices, inimicæ & Signa Geneuæ
Visa simul claras ante fuisse fores?
Plausus-ne assiduos dicam, & resonantia tanto
Nomine selecti docta theatra Chori,
Et commendatas Populorum laudibus artes,
Queis Latium æquabat Gallica Nympha vetus?
Maiora & meliora altæ præconia famæ
Testibus his oculis nota referre iuuat.
Vidi ego progeniem Regum, capita ardua Mundi,
Vranies haustis obstupuisse sonis,

Borbonium genus, & cognata è ſtirpe Nauarræ
Reliquias, & cui Mantua ſceptra dedit.
Hanc coluit, lectæ captus dulcedine chartæ,
Ille tui, victor magnus, Ibere, Getes,
Et dudum, patriâ dum præparat arma ſub Vrsâ,
Miſerat huic cultus nuncia ſigna ſui.
Huius & ambroſios auidâ bibit aure lepores
VVymarius, magno non minor ipſe Gete.
Ah dolor! & noſtri clades quam ſentiat æui
Poſteritas, tantis orba futura bonis.
Quæ poterit Gentes, & Regia flectere corda?
Quæ ſtabili aduerſas iungere pace manus?
Quæ Diua æthereos accendet mentibus ignes?
Afflatu cuius Numinis ora canent?
Olim abiit Furor ille ſacer, Tripodeſque fuere:
Nunc querimur Phœbum Pieridaſque mori.

DE EADEM.

NIL mortale ſonans, puro quæ Nectare fluxit,
Æternùm Vranies arida lingua tacet.
Ergo cadis nigro non debita victima Diti
Vranie, & Cœlum Parca ſceleſta petit?
O ſcelus, infernique extrema audacia Regis,
Præſumit ſuperæ qui ſibi ſceptra domus!
Defendent vix Fata Iouem. Quis ſtare Deorum,
Tutus & effracto iam queat eſſe Polo?

DE EADEM, ET MARCO ANTONIO MVRETO TERRA LEMOVIX.

EAS sinat, & caræ parcant mihi scilicet Vmbræ,
Si veterem cladem lenio clade noua;
Si propriis spoliata bonis, quæ Roma recondit,
Deposito ingenti se mea iactat humus,
Et facilis cedo Ausoniæ docti ossa Mureti,
Dum seruem cineres, culta LOGÆA, tuos.

DE

NON OPTIMO POETA,

Quem per ſummam humanitatem Laudauerat.

RESPONDET CAPELANO.

Rides nos, Capelane? Tamen quia ludere gratum eſt,
Materiem ludis nos iuuat eſſe tuis.
Se nempe Eoæ mirabitur æmula gemmæ
Herba rudis, noſtrâ nobilitata manu;
Arteque BalZaciâ ſubitum vertetur in aurum
Inſolito radians lumine vilis humus?
Denique ſi libitum eſt, calidas ad ſidera nugas,
Et miſerum heſterni tollere vatis opus,
Laude meâ Populus factum modo credet Olorem,
Raucus ad Aonias qui ſtrepit Anſer aquas.
O Capelane, tuum eſt munus, ſi quid mihi talis
Debeat, & Laudem tollis ad Aſtra meam:
Non hic per me alius, per te ſum Balſacus alter,
Et per te Populi credulitate fruor.

ORBILIVS.

NON modò, vt ante, imbrem rauco vocat improbus ore,
» Tempestas fit & ipse, ac nostris incubat agris.
» Heu, quantùm nimborum atro de vertice surgit!
» Quanta supercilio nubes! quàm dira minatur!
» Dî seruate Pios, & fœdum perdite Monstrum.
Conspecto sic Orbilio dicebat Iolas,
Terroresque suos socio referebat Amyntæ.
Nempe aliquid Iouis irati, nigrùmque coruscâ
Multæ in fronte minæ, ac nulli placabile lumen,
Et bellum quod vultus habet, murmurque boatusque
Orbilium longè ostentant, quem Celtica pubes
Corde tremit pauido, nomen cui Fama togati
Carnificis dedit & titulos. Arcana scientem
Diuæ Grammatices, casus & tempora doctum
Multiplicesque modos, & in omni voce furentem,
Audimus: Summum insanus petit æthera clamor,
Vicinasque Arces, & proxima saxa fatigat.
Cernimus, hic ipse est; Puerorum ingrata parantur

Supplicia ante oculos; Iam grandi armata Flagello
Dextra gregem ferit innocuum, nec sæuior Aiax
Cùm fureret, falsosque amens mactaret Achiuos.
At læuâ immanem Ferulam non Herculis ipsi
Cedentem Clauæ rotat arduus: Atria circum
Mœsta sonant, longisque vlulatibus ingemit Echo,
Narcissique memor, Pulchris ignoscere Fœdum
Quamquam olim contempta, velit: Sed durior ille
Ingeminans plagas; cœsorum & pelle superbus,
Virgineum sitit Hircanâ feritate cruorem.
O caput horrendum Pueris! O qui simul omnes
Exanimas visus subitâ formidine Matres,
Nil nisi tunc illis Superos & vota relinquens,
Pro charis gnatorum animis: O Patribus ipsis
Terribili aspectu pacem poscentibus instans,
Et reliquis flagra intentans plerumque Magistris;
Non tibi discipulum satis est optare Neronem:
Non tu marmoreos morti cole proximus, hortos,
Nec morere inter opes, claroque verendus in ostro,
Sanguine sed laceramque togam lectique ruinas,
Sæue, tui macula, & Ditem pete pauper auarum.

INDI-

INDIGNATIO
IN THEONEM
LVDIMAGISTRVM EXIESVITAM, LAVDATOREM INEPTISSIMVM EMINENTISSIMI CARDINALIS VALETÆ.

Scripta anno M. DC. XIX.

Ergo parum Satyræ eſt ſæuos agitare Tyrannos,
Fataleſque animas, hoſteſque laceſſere Diuûm?
Inſulſi-ne etiam ſtolidum caput illa Theonis
Obruat, ignauumque pecus Titanibus addam?
O FVGITIVE, ſacræ pars quondam indigna cohortis,
Nunc conſtans & vbique hoſpes, Paraſite Magiſter,
Cruda & cocta vora totaſque abſume placentas:
Sed ſuperis vetitum mortali accumbere menſis;
Sed temerare nefas doctarum arcana Sororum,
Impuraſque manus Romano inferre Triumpho.

O

Belli ergo Paciſque artes, fœcundaque Regum
Stemmata, & Imperiis grauidam per Sæcula gentem,
Heroaſque bonos, genus alto à ſanguine Foxi,
Conſcius ipſe tibi; meliori linque Poëtæ.
Iudicium Henrici atque Aulam virtutibus æquam,
Et plures Titulos numeroſumque agmen Honorum;
Æterna ad Rhodanum Patrui monumenta Valetæ,
Spernoniique Patris caput inſuperabile fato,
Victores Fortunæ animos, corda æmula Diuûm,
Diſce verecundâ tacitus pietate timere,
Nec primo, moneo; hos latices libaueris ore.
Hoc ſerum eſt monuiſſe, ruentem in clara Magiſtrum
Facta Patris Patruique, & cunctam ab origine gentem
Euerſam, Heroaſque excitos ſedibus imis,
Vidimus. Inſulſi rauco clamore Theonis
Omnia ſunt turbata; Tibi nec Roma pepercit,
Quæque recens à te, dedit illi Purpura pœnas,
Non vno vexata anagrammate; concidit ingens
Denique, & immani laudum ſub pondere Lyſis
Sic gemit, vt poſſit Latios odiſſe Triumphos.
Mentis inops lingua, & rabies æterna loquendi,
Victurum ſine te ventura in ſæcula nomen
Quid maculas ornando, & craſſis opprimis aures
Laudibus, ingratoque feris ſtridore pudorem
Illius quem Fama canit, quem tradere Faſtis
Non dubitat, totique inſignem oſtendere Mundo,

Damœtæ manus, haud moles ſtructura caducas?
Et nos poſſe aliquid credit, dum maxima præſtat,
Ereptus Ligeri pridem, & quo Sequana gaudet,
Damœtas meus, atque ſuum non temnit Amyntam:
Vnus vtrique ignis certè eſt, & amamus eumdem.
Tu-ne palam noſtros vecors violabis amores,
Inficieſque oſtrum cœno, ſpargeſque venena
Prodigus, immeritumque occides carmine Lyſim?
Tu Genio irato, pulchræ tu neſcius artis,
Irrumpeſ-ne ſacras Muſarum obſcœnus in ædes,
Et fatalis Anus, multùm indignante Marone,
Quem laceras, CENTVM LINGVAS, CENTVM ORA rogabis?
» Non impunè feres, Pindo ſic Phœbus ab alto
» Dixit, & iſta mei tangit me iniuria vatis.
» Hunc omnes ſtupuere indocta voce loquentem;
» Hunc doluere tuo iuſſum ſeruire furori.
» At quicumque furit, non noſtro eſt numine plenus,
» Nec cadit in tales ſanctus furor. O mea tela
» Cur ceſſatis? Acus malè ſanam figite linguam
» Pieriæ? placidas ſed dedecet ira Sorores,
» Et mea tela hoſtis melior manet. Ergo age fauces,
» Vates vlta pios, occlude, Angina, profanas.
» I verſus defende bonos, Phœboque iubente,
» Verborum Tortori æterna ſilentia defer.

IN GRAMMATICVM GENEVATEM.

QVI vult dici aliquis, Phœbo ſpectante, nefanda
Audeat, ac puros non ſinat ire dies.
Famæ Templa patent haud vni Pulchro & Honeſto,
Nec volitat Virtus ſola, per ora virûm:
Gaudet Fama ſuas onerari & ſordibus aras,
Nomina & hîc vario crimine nota litant.
Nobilis hinc Latro eſt, & Nobilis improba Lena,
Inceſtoſque ignes Fabula narrat anus.
Hinc viuunt Bauiuſque Anſerque & turpis Aquinus,
Et Voluſi Annales, priſce Catulle, refers.
Sed nimium hoc, fatique putat maioris Amyntas,
Viuere nec dabitur ſic quoque, Bubo, tibi.
Te ſileat præſens, te poſtera neſciat ætas,
Ignotumque orbi nomen in orbe late.
Talem, impure, animam, Ferrami amittere dextrâ
Ne metue, eſt audax plus ſatis iſte metus.
An ſe auium regina obſcœno ſanguine fœdet?
Immemor an Cœli dira ſepulchra petat?
Abÿcienda tibi tantæ ſpes ardua mortis;
Sic quoque nec poteris, Bubo nefande, mori.

AD
MARCVM LICINIVM,
DE VITA MAMVRRÆ, &c.

NON Venerem tantùm & comites, pia numina, Nymphas,
Finxit Apellæus, sed fera Monstra, labor:
Nec solus Senis altiloqui laudatur Achilles:
Est quoque Margitis fama, sed ipse fuit,
Sed periit Venus, & comites, pia numina, Nymphæ,
Et sunt artificem Monstra secuta suum.
At, Licini, Mamurra tuus, vel Achille sub Orco,
Conspicuus vastum tollet ad astra caput,
Æternúmque dabit Latiæ spectacula genti
Os hominis, doctis nobile stigmatibus.
Durabunt plenâ facilis quos promis ab arcâ
Romanusque lepos, Cecropiique sales.
Sic iubet ille potens Genius, qui fata Libellis
Diuidit, & dulces hoc meruere Ioci.
Posteritas nostri Parasitum dicere Phœbi
Ne dubitet, Licini, quem sciat esse tuum.

AD

CLARISSIMVM ET AMICISSIMVM ANTISTITEM,

METELLVM DE BOSCO ROBERTO

EPISTOLA.

MVnere Cœlestum, Vati date tutor egeno,
Atque Oratoris dubiis sacra anchora rebus,
Et præsens spes Historici, cùm pensio lenta est,
Noster amor, viridique, METELLE, sodalis ab æuo,
Dic rogo quale fuit Carmen, quod Principis aures
Te recitante piæ tenuit; nam nuncia fama
Non cessat celebrare, Parens quod grande vocauit
Augusta, & voluit mansuris viuere chartis.
Tu quid agis? Neque enim externæ virtutis amator,
Oblitus propriam es, paterisque senescere vires,
Quas tibi inexhaustas ad carmina sufficit ardor
Ætheree flammæ, semperque paratus Apollo.
Num te spirantem excelsa, & sine crimine cædes

Tractantem Regumque nefas, vel fœdera iuris
Rupta ſacri, vetitoſque thoros, exercet in hortis
Fabula Ruliacis, Graio haud ceſſura cothurno?
Frater vbi eſt, Mundi non dignior incola, cultor
Muſarum & Veneris, nec in vna cognitus arte;
Qui mores Cœli varios & ſydera callet,
Qui Populos geſtat, vaſtaſque in pectore Terras,
Naturamque omnem proprium collegit in vſum?
An Muſis Venerive vacat, propioraque Terris
Sydera, Naturæque ſagax arcana latentis,
Immemor Vranies, laſciua in Phyllide quærit?
Quid par ingenio Superis? mulcet-ne diſerto
Nympharum ſermone choros, Aulæque fauenti
Iura dat, atque animis ſeſe gaudentibus infert
VICTVRVS, dulcem redolens ſed ſalſus Hymettum?
Victuri mihi nota mei ſat vita, METELLE, eſt.
Illum caſta ſui largo Venus imbuit imbre
Nectaris, & cunctos vni tranſcripſit Amores:
Ille, aliud vel agendo, æterna Oracula fundit:
Ille meum ſuperat calamo ludente laborem:
Ille ſacris regnat plerumque in Montibus abſens,
Deſpectarum etiam cura ambitioſa Sororum.
At quis te Boreas afflat friguſque ſub Arcto
Ardentem Patriæ pietate, & maxima quæque
Ingens MEMMIADE, ſolito de more parantem?
Te-ne loca æternis Cœli damnata ruinis,

Te vigiles curæ ac duri pro pace labores,
Semper & Vrsa ferox & Rhenus & Albis habebunt?
Ah, subito totusque veni, nec liqueris illis
Quos nobis debes oculos, neu Iupiter aurem
Dimidiamve manum Geticus sibi pignora seruet.
Sed liceat sperare, oneremque altaria votis
Pro reditu, dum tu interea, iucunde Metelle,
Narrandi multa arte valens, mihi cætera narres;
Dum tua diuersis me pascat epistola rebus,
Sæpius & mutata iuuent spectacula mentem.
Nec solùm tibi Semidei dicantur, at ipse
Thersites, ipse antiquo qui dictus Homero,
Ore animoque canis; pridem cui sensus Honesti est,
Extinctusque in fronte pudor. Fœdissima longas
Bestia det pœnas: Descende ad probra Latini
Nominis, ac turpes Mamurra interprete Graios,
Pollutumque Notis omni ex Auctore volumen.
Monstra refer verborum, alio quæ vexit ab orbe,
Terribiles Griphos, operosas, Symbola, nugas,
Noctibus ad vigilem multis sudata lucernam.
Scommata frigidiora refer Scithicoque Decembri
Caucaseoque gelu, tristesque Anagrammata ludos,
Et Phœbo auerso atque inimicis Carmina Musis;
Carmina, quæ dixere olim SCELERATA Quirites,
Innocui licet illa essent timidique Deorum
Mortalis: Quantùm, ô scelerum Mamurra patrauit!

Ne

Ne iactet nimis Auratum cunasque Mureti,
Nobilis hunc quoque tam claris natalibus, asper
Eduxit pago Lemouix; dein magna Tholosa
Ciuem habuit, propriumq; tenet nunc maxima rerum,
Haud cedens dominæ formosa Lutetia Romæ,
Mamurrâ sed fœda suo, quæque omnia Vatum
Dedecora & veteres maculas, scabiemque profani
Anseris, & Volusi stercus, Bauijque venena
Inuideat Romæ, aut si quidquam impurius ætas
Prisca tulit; Tanta est Mamurræ infamia vatis!
Peior Grammaticus qui pessimus ante Poëta,
Discipulis semper-ne suis lutulentus & ater
Apparet, nodosque & sola Ænigmata quærens,
» *Exclamat, Iuuenes properate, hac itur ad astra:*
» *Hi calles prærupti, & inextricabilis error,*
» *Sed Populo, ignauæque ad prima pericula turbæ.*
Idem-ne vt nidos Aquilarum atque ardua liquit
Inuitus, per iter planum cùm cogitur ire,
Horrendas struit ambages? Cathedrâ-ne remugit,
Obscuris clara inuoluens, ac sæpe Maronem,
Spargentem latè radios, & luce nec ipsi
Cedentem Phœbo, magicis velut artibus, orbi
Occultat, Stygiâque diem caligine mergit;
Sæpe suas salebras scopulosque immittit apertam
Illius in mentem, puro qui purior amne,
Tam faciles habuit, duro sub Principe, Musas?

Hîc docto te Marte potens, Ferrame, vocamus,
Ante alios (ea vota meo sint grata Metello)
Cùm tot tela volent, tot in vnum tela parentur,
Otia agas, tuaque arma neges communibus armis?
Vana pium-ne putet deformi parcere Monstro,
Relligio? Tu-ne inuictos torquebis Iambos
In caput alterius? Viuet-ne obscœnus amator
Atque hostis Musarum, omnis temerator Honesti,
Pindi tetra lues? Pestem tamen ille minorem
Scaligeri Tulliique cliens, & Cæsare læso
Conspicuus Sæclis, nigro deuouit Auerno,
Nec tales Verona tulit sine vindice chartas.
Plura, Metelle, mihi referes, socioque rogante,
Dissimiles Mamurræ, illustria nomina, vates,
Dilectas animas, multùm saluere iubebis:
Quis studiis honor, & quales circum optima curæ;
Quantus amor Sophiæ, nostræ quæ gloria Pithus;
An placeant sine mente soni nugæque canoræ;
An Pulchri specie fragilis ludibria fuci,
Decipiantque leues vmbræ ac mendacia, scribes.
Denique delicias & lauti fercula Sæcli,
Ingeniumque Aulæ præsens, lususque leporesque
Et totam in tabula reddes absentibus Aulam.

CRVDELIS VMBRA.

AD ILLVSTREM VIRVM, IOANNEM MAVSSACVM, IN SVPREMA RATIONVM CVRIA, APVD TECTOSAGES, PRÆSIDEM AMPLISSIMVM.

HOsti nulla fides, etiam, MAVSSACE, sepulto:
Hostis erit sine fine meus, malè credita Terræ
Innocuum sitiunt ossa impacata cruorem.
Iam cinis est, sed inest cineri fraus sæpe doloso,
Dissimulat flammas, & cœca incendia seruans,
Perniciem, mox latè ardens, meditatur apertam,
Sparsurus varias compresso è semine clades.
Sæue Cinis, Titulisq; ferox; Tuque vmbra Tyranni,
Impatiens Erebi, nec cuiquam impunè videnda,
Cùm per Inane volans, stridentes concutis alas,

Regnataſque prius ſedes, immania Clauſtra,
Terrore exangui, & Furiis comitata reuiſis,
Æternum-ne geres noſtro cum Nomine bellum?
Tu-ne Tyranne, iterum diris clamoribus Vrbem,
Alterius ciuis Mundi, ac de gente Silentum,
Implebis, vetereſque ſacrabis in ære querelas,
Fundens virus, vt ante, & non innoxia verba?
Sic dudum extincti ſanies de vulnere Neſſi,
Herculis in peſtem fœcunda, parumque perire eſt.
Sic poſt mortem Odia, & crudeles viuitis Iræ.
Nil in vos Parcæ licuit, ſpoliumque iacentis
Poſthuma bella mouet, morſuſque exercet acerbos
Picta loci rabies, Stygiis ſed picta venenis.
Ergo ſtupri inſontem Diua cum virgine Amyntam
Arguet ante Aras, vocalis machina Laruæ?
Ergo canet Pæana, & falſi criminis index,
Effigieſque, Arcuſque, atque ipſas inſuper Aras,
Exiget à Superis inſana ſuperbia Buſti?
Hoc certè nimium eſt, & fruſtra mouit Amyntam
Olim religio. Nec noſtra modeſtia virtus
Vera animi, ſed erit frigens in corpore ſanguis,
Nec tacuiſſe iuuat. Tumulo ferus exiit hoſtis,
Et dubitem pugnare, Virumque opponere Monſtro,
Iuſque meum ſceleri alterius, roburque furori?
Quis timor infeſtos prohibet compeſcere Manes,
Et fugitiuam Vmbram tenebris pigræque paludi.

Reddere, vt irarum nunc tandem obliuia potet,
Deponatque altos imo sub gurgite fastus?
Ille Loquax, nugisque tumens, dum vita manebat,
Spirabant cui tanta caui mendacia folles,
Albo notus amictu & raso vertice Princeps;
Ille amens, sibi qui Diuûm poscebat honores,
Spernere Pieridas, & se præponere Phœbo,
Grammaticique ausus speciem affectare Tonantis,
Ridebit dantem immites Salmonea pœnas,
Intactus liberque, & tot quas carcere frænat
Æacus & vinclis, animas post fata furentes?
Non ita: Et has iterat pridem cum murmure voces,
Pertæsusque moræ, calamum castigat inertem
Mainardus, fidei ante alios seruantior omnes,
Atque animâ, scit sancta Fides, mihi carior ipsâ
Mainardus: Nimirum hosti me plaudere sæuo,
Me facilem titulis subscribere velle superbis
Exclamat, lentoque acres Epigrammatis addit
Assiduus stimulos, & in ipsam impellit arenam.
Nec reuocat me Montosides, Dîs proximus heros,
Per quem animos sumunt imbellia numina Musæ,
Vt durus socio mitescit Apolline Mauors,
Montosides, Athesi factis & cognitus Istro.
Quin potius dux cœpti, audendique impiger auctor,
Rumpe moras, inquit, solitas, & longa libellos
Vincla pati questus, patrijque ergastula ruris,

Intendit litem, & timido ſuccenſet amico.
Succenſet lux exoriens, noua gloria Pindi,
Flos Iuuenum, exhibito nuper qui Mentore clarus,
Margitis deſiderium, Satyræque ruinas
Nobis ferre dedit, ſalibus quam Varro Pelaſgis
Natiuoque Remi perfuderat vrbis aceto.
Clamoreſ-ne pios, cara & conuitia temnam
Menagî, cupidoque negem non grandia chartas
Dona meas? Tamen huic largè tribuere fauentes
Munera plura Dei: Tota hoc in pectore Roma,
Tota Hellas, cultiſque habitant cum moribus artes.
Eſte procul lites, & amicæ iurgia linguæ,
Paremus: Tua me dubium ſententia firmat,
Cenſendi, Mauſſace, potens, quo ciue Tholoſa,
Relligione Deûm florens & Iure Quirini,
Palladiis meliùs nunc Graia æquatur Athenis;
Quique tuæ vindex rigidus de more Tholoſæ,
Non pateris iuſtas differri in ſæcula pœnas.
Quod ſupereſt, qui ſæpe olim, Ioue miſſus ab alto,
Voce truces Boreæ Populos, & leniit Arcton,
Atque idem æternis mandauit Prælia Chartis,
Ingenuam cernat pacato lumine pugnam
Bentiuolus, noſtrumque iuuet quemcumque laborem.
Adſit Romulei decus immortale Senatus,
Cæſareuſque Nepos, duplici ſpectandus in oſtro,
Conciliet mihi ſic Martem, & quæ præſidet ipſi

Fortunam Marti, Campumque & Bella gubernat.
Scilicet & pulchra languentem afflabit Erynni,
Immittetque animis viuos torpentibus ignes
Multa luce micans, & ſidere purior omni,
Frontis honos, præſenſque auguſti Gratia vultus,
O quàm ſollicitis fauſtum mortalibus omen!
His oculis placuiſſe, ac Iudice vincere tanto,
Securus Populi & Famæ, ſibi poſcit Amyntas,
Nec iam alios primo vocat in certamine Diuos.

SENEX ÆGER, AMANS.

NON cogit Lex Emeritos, nec debile Vulgus
Bella volunt, Æger ſed Veteranus amat;
Jam moriens tremulis auidus bibit artubus ignem,
Crudeleſque iocos ludere geſtis Amor.
Poſt te igitur Morbi current, & clauda Senectus?
Hoc deerat Titulis, ſæue Tyranne, tuis.

AD AMOREM.

QVid tibi cum buſto & cinere & iam Neſtoris vmbra,
An Stygij affectas tertia regna Iouis?
O Amor! ô genti Superum metuenda voluptas,
Vis puto, vis Manes igne calere tuo?
Hîc ſaltem nemo euadet, ſi morte propinqua,
Incipis obliti pectoris eſſe Deus.

BORBONIVS ET BALZACIVS, OSTENTATO BELLO, ITERVM AMICI.

ET pater inter ſe Damon & alumnus Amyntas
Bella gerent, ſancta pectora iuncta fide?
Non ita. In Elyſiis dabitur Diſcordia campis,
Secretoſque Pios deſeret ante Quies.
Scilicet has rediturus Amor præmiſerat iras,
Imò erat in læſo tunc quoque corde Deus.
Vos tamen, ô Muſæ, ô Charites, iam vincla parate,
Ne, licet vſque redux, ſit fugitiuus Amor.

DIANA SANTONIS. SIVE GALATEI INSANIA.

DE GALATEO AD LECTOREM.

EXEMPLVM Galateus erit tibi quiſquis amare
Iure times, blandumque oculis haurire venenum.
Sic ſpectandus erat Spartani lege Lycurgi,
Ille olim nimio venas inflatus Iaccho,
Cùm pulchrum atq; decẽs deformis imago doceret.
Caſtus Amans fuit iſte tamen: Sed amare pericli
Res plena eſt, fœdæque adeò vicina ruinæ.
Innocua & dulcis iuuenem Dementia cepit:
Sed Sapere eſt melius, primæque in flore iuuentæ.
Sunt Calami viles, leuis & iactura Papyri:
Sed frugalis homo nec vilia perdere nouit,
Et cum laude poteſt perituræ parcere chartæ.

GALATEVS DE DIANA.

SIT nemorum cultrix, & noſtris addita Nymphis,
Temperet agreſtes caſta Diana choros.
Jlla quidem Regnum Arcadiæ, & maiora meretur,
Aonij melior ſceptra tenere iugi.
O Superi, roſeo quæ fulgura mittit ab ore!
Vt ſapit, vt doctas prouocat arte Deas!
At Pan, & Syluane, Ægonque, & pulcher Alexi,
Vos aget vt ſæuus per ſata læta furor!

GALATEVS
DE SE IPSO.

TV quid eris Galatee? Sacri te-ne aura veneni
Præteriit? Pago num pereunte vales?
Ast alios signasse oculis contenta superbis,
In te tota suo numine Diua ruit.
O Galatee, amens dum per sata curret Alexis,
Quæ poterunt Furias sistere vincla tuas?

GALATEVS
ANTE FORES
DIANÆ

HOrror ſanctus habet properantem ad tecta
Dianæ,
Et mens incertos vix mouet ægra pedes:
Fatales radios, Fulmenque, ferumque Tri-
Illic & Stygios credo latere rogos. (dentem,
Quis me olim vertentem Arces, & Martis alumnum,
Credat ad imbellem poſſe pauere caſam?
Præmitto vota & laudes, & limen adoro,
Et mihi cùm pateant, ſto tamen ante fores.
Quàm non audet Amor, puræque modeſtia flammæ,
Ardeat in forti pectore flamma licet?
Quid non forma poteſt, pulchrique ſuperbia vultus?
Vel Mars diſce timere, ecce Diana venit.

DIANA METVENDA.

INcedit Phœbi ſoror, & Ioue digna parente,
Et cadit ex omni plurima flamma Deâ.
Francigenæ fugite hinc: Talem vidiſſe Dianam
Ne capiat Ciues dira cupido meos:
Auſint Belga & Iber certam ſed quærere mortem,
Ne paueat Ciues ſemper vterque meos.

VOTA PASTORVM.

Casta faue Diana, tuas ne despice laudes,
Quas canit incultis rustica turba modis:
Scis motus incompositos, & facta sine arte
Carmina, non fratri displicuisse tuo,
Cùm coleret Graios, hominis sub imagine, saltus,
Pasceret & niueas factus agrestis oues.
Ille tamen Deus est Artis, mulcere Tonantem
Doctus, & æquorei pectora mota Patris:
Sed nec docta iuuant semper, nec lege tenetur
Impetus, & lætos dedecet ordo dies.
Hîc Musam incomptam, & flores placet esse solutos,
Hîc licet abrupta fundere voce preces.
O formosa Diana, ô fraternæ æmula luci,
O Diuûm atque hominum, casta Diana, furor,
Sis felix, sed dura licet mortalibus ægris,
Quantùm est riuales dicere posse Deos!

LIVOR DEAM PROBAT.

AEQVA parum eſt magnæ Phyllis procera Dianæ,
Ferre nequit tantum Lydia parua decus.
At placet his Caſſandra, nec inuidet vlla Creüſæ:
Oſtendis veras, Liuor inique, Deas.

DIANA
ROSIS CORONATA.

VOS flammæ insontes, & fulgura blanda Rosarum,
Queis celsum armatur Diua superba caput,
Per Zephyri teneræque obtestor numina Floræ,
Quantùm vos nouus hic, dicite, tangit honos?
Quàm iuuat has implere comas, longéque videri
Gentibus, & nigrâ mittere nube faces?
Nulla, Rosæ, in toto sedes præstantior orbe est,
Nec tam mira alius quàm locus iste capit.
Hîc vultus lux alma, & nox formosa comarum;
Hîc flamma innocua est, & nocet ignis atrox:
Hîc ostrum rubet; hinc oritur sed pallor Amantum:
Hîc sua cum vestris spicula miscet Amor.

GALATEVS PROFECTVS BVRDIGALAM, LVDORVM EQVESTRIVM ERGO.

INsoliti saluete dies, quos flore coronat
Purpureo, moris nescia Bruma sui,
Nos Choreæ Ludique vocant, pulcherrima Ponti
Nos facies, mediis fixa Theatra vadis;
Queis si Romuleæ non gloria cedat Arenæ,
Nil tamen æterna dignius Vrbe fuit.
Hic auro gemmisque ardent Spernonia latè
Atria, nec summi plus micat Aula Iouis.
Hic epulæ, sine fine epulæ, Vascoque Lyæus
Irrigat effuso pectora sicca mero.
Sed Martem petit innocuum iam Buccina; Circus
Iam patet, alipedes, Diua, daturus equos:
Tu verò hinc procul es, Galateumque atque Dianam
Inuida cærulei diuidit vnda Maris.

Ni tecum gaudere nefas mihi, & eſſe beato
Haud licet, & vitam hanc exul & æger ago.
Quid cantus morienti & non ſua gaudia proſunt?
Te caream, & Cœlo ſplendidiore fruar?
Littore in hoc Nectar liceat potare Deorum,
Et legere hybernas, te ſine, Diua, roſas?
Peſtem, quæſo, meam prohibe, ſic dulce nocentem:
Ah bona cuncta abeant, ſola Diana veni.

DIANA QVÆRITVR.

QVÆ nitidum ornatis nemorosa theatra Carentam,
Quæque alitis pendens ima fluenta nemus,
Vmbriferæ rupes, subiectaque rupibus vnda,
Quas colit oblito sæua Diana Polo,
Sæua Diana vbi sit, mihi dicite, quærimus illam
Cuncta cohors, illam non habet omnis ager.
Diuûm-ne insidias, & amicam fraudibus Aulam
Suspicer, ac veteris furta timenda Proci?
Ast amor huic alibi felix, Nimphæque fauentes;
Aula potest Veneres nec numerare suas.
Quæ nos inuidia est rigidam spectare Dianam,
Et Rus irato Numine velle frui?

APER VISVS AD NOTRAM FLVVIOLVM.

VIcinas ſyluis ducens vbi leniter vndas,
Ignauus viridi Notra moratur humo,
Apparet metus Agricolis, iam vulnere multo
Notus Aper, raris certa ruina plagis:
Nec ſolùm laqueos & ruſtica deſpicit arma,
Fulmineo cunctos territat ore canes.
Hic labor æternæ debetur nempe Dianæ,
Vt cadat inuictâ Bellua cæſa manu.
Felicem, quæ, Diua, tuo ſemel occidet ictu;
Sic pereo toties, nec periiſſe licet.

DIANA DORMIENS.

HIC vbi populeæ descendunt collibus vmbræ,
Dulcis & arguto perstrepit vnda pede,
Cautus in ardentes irrepsit Somnus ocellos,
Et placida immitem leniit arte Deam.
O genus Astrææ, cuius iam mollia sentit
Vincula, & innocuos casta Diana dolos,
Fac per te falsa capiatur imagine nostri:
Vt placeam, vultus da mihi, Somne, nouos;
Aut primæ speciem, satis hoc mihi, redde iuuentæ,
Laudatumque aliàs sparge per ora iubar.
Riuales malè pinge meos, Dorylamque ferocem
Præcipuè, insigni qui volat altus equo:
Formosum Dorylam tetris corrumpe venenis:
Purpureus fugiat qui fuit ante color:
Exangui macie ac naso metuendus adunco
Prodeat, vt tumulis ossea larua suis.
Quamquam insons, legumque timens, cultorq; Dianæ,
Sit reus, & falso te quoque teste cadat:

Ludere dic cùm laudat eam, dic fingere amorem,
Mentirique ſacra vulnera facta manu;
Nec verum eſſe genus, quo ſe iactauit, Orontis,
Nec tantas liquit quas Amaryllis opes.
De me mira refer, multoque ex hoſte trophæa,
Longinquos numera, ſed ſine fine greges:
Adde ægræ nimiùm miſeranda incendia mentis,
Et quæcumque audet dira cruentus Amor.
Quod fruſtra Virtus & Vota & Sæcula tentent,
Impoſtura tua hoc, hoc breuis hora dabit:
Somne, merere aras, ſi ſic mihi dormiat illa,
Noſter eris, ſpreto ſemper Amore, Deus.

GALATEVS

GALATEVS PISCATOR.

HIC ſedeo æternùm vitreas Piſcator ad vndas,
Et nunquam optatum linea sentit onus.
Tu Diuas, ſortem ſpera, Galatee, Deorum,
Si tibi nec vilis gobio præda fuit?

DE DIANA,

AD PICTOREM.

NAM quæ non rigeat, ſubito ceu tacta veneno,
Auſa pharetratam pingere dextra Deam?
Quis ſaluis ſpectare oculis ea fulgura tentet?
Cui cœptum non mens excidat inter opus?
Hoc potuit Natura ſemel, mirata quod ipſa
Fecerat, immodicè viribus vſa ſuis.
I nunc pinge Deam, dextra ſi debilis ægra,
Luminibus captus, mente carere velis?

AD

CARENTAM AMNEM, DE DIANA.

CVI datur eximiam ſoli geminare Dianam,
Et per quem ſimilis redditur ipſa ſibi,
Nuper docte Carenta, meis ſi fletibus auctus,
Non iam turbatis pingis, vt antè, vadis,
Dic tabulam lachrymis maculari & ſanguine noſtro;
Hunc volet, hunc formæ præferet illa ſuæ.

BALNEA DIANÆ.

QVÆ petis, innuptæ ſunt Balnea ſanctæ Dianæ,
Ne vetitas pota, feſſe viator, aquas.
Qui bibet, æternos, nunquam ſuus, hauriet ignes,
Infauſtaque trahet certa venena manu.
Hîc habitant inimicæ: Hîc ſæui Numinis index
Dira ſub optato frigore flamma latet.

DE INFELICITATE AMORIS SVI, AD PETRVM GASSENDIVM.

ME-ne rota & ſaxum & crudelis diſtrahet ales,
Anguſtoque geram Tartara cuncta ſinu?
Qui Cœli calles numeros, & conſcia Fati
Sydera; quo terras Numina teſte regunt,
Dic mihi num tantæ finem bona Sydera pœnæ,
Num dare, Gaſſendi, Numina ſancta velint?
Hîc ſummæ tibi meta artis, doctiſſime rerum,
Eſt aliquid quod te ſcire Diana vetat.

DIANA PROMISSA ALCANDRO.

Ergo erit Alcandri, nec erit, mea, Mopſe, Diana,
Nec ſua, natali cedere iuſſa ſolo?
Indigeteſque Deos linquens patriumque Carentam,
Deſinet innuptos ducere Nimpha choros,
Et mortalis heri tanget captiua cubile,
Supremi ſolio digna ſedere Iouis?
O feralis Hymen, Sæcloque ignote beato,
Cùm Domini nondum, Regnaque nulla forent!
O qui ſpes ſolitus nimias atque improba vota,
Imperiique ſacram ſollicitare famem,
Alcandro-ne bonus ſoli, & prædonibus illis
Proſper ades, Pulchras qui ſua iura vocant,
Quos iuuat ingenti ſua gaudia vendere dote,
Liberaque æterno frangere colla iugo?
Publica res agitur, totique iniuria Pago
Imminet, & noſtras Aduena poſcit opes:

Exul ab aëria delatus Vasco Pyrene,
Santonicis regnat Barbarus exul agris:
Cuncta audet spondente Deo, cui vincula curæ,
Et dolor & gemitus immeritæque cruces.
Diuo, Mopse, tamen licet hîc opponere Diuum,
Viribus vt fugiat pulsus Amoris Hymen:
Igne Amor & iaculis patrias tutabitur oras;
Iamque agit in Sponsos agmina nostra nouos.
Vltor vbi est, vbi Brutus, habent si rura Tyrannum?
Diue, tuo plenus numine, Brutus ero.
Te sequar incœpto me Bello ad signa vocantem:
Turpe sed humana Numen egere manu.
Prompta fauet, video, niueis Victoria pennis:
Iussa facit, video, plaudit & ipsa tibi.
Vindice non opus est Bruto, cadit ecce Tyrannus,
Vt Bruto tantùm teste triumphet Amor.

DIANA ALCANDRI
CONIVX.

NON videt, at vidisse putat: Bona somnia fingit
Omnis Amans, fraudi credulus ipse suæ.
Victor regnat Hymen, patriis Amor exulat oris,
Et rapuit nostras Aduena dirus opes.
Quæ sperata prius, nunc est possessa Diana,
Fiet & externi pars miseranda laris;
Inuiso Alcandro, ac vetulæ subdetur Alysæ,
Hostilesque mea luce beabit agros.
Quin moreris, Galatee, & duros rumpis amores,
Extinctoque pudet te superesse tibi?
Amplius haud fas est dominæ seruire Dianæ;
Nil habet in Terris quod Galateus agat.

GALATEVS

GALATEVS
AD
ALCANDRVM.

TV-ne meas noctes, Galateo debita carpes
Oscula, & iniustâ sorte Beatus eris?
Haud patiar; læta excutiam tibi gaudia mente,
Teque adero terrens omnibus Vmbra locis.
Victor vbique tuos Populis ostende Triumphos;
Victori Pacem victus vbique nego.

GALATEVS
ÆTERNVM INCOGNITVS.

QVI ſub Damonis latuere & nomine Amyntæ,
Falſi Borbonius Balſacideſque rei,
Pertæſi laruæ Populum ludentis, Amantes,
Iam produnt chartis nomina vera ſuis;
Iam virides canis iuuat impoſuiſſe coronas,
Laſciuitque pio cum ſeniore ſenex;
Et licet: At noſtras celare in corde querelas,
Aut alieno iterum cogimur ore queri.
Tu ſemper Galateus eris, tibi cognitus vni,
Tu proprio ludos ſanguine ſemper ages.
Non Parca in Terris, non atro in littore Minos
Perſonam capiti detrahet ipſe tuo.

AD IACOBVM VALLÆVM.

Teste Deo lucis, Diuæ promissa sorori
Carmina, sed Phœbi digna sorore, petit.

TAM citò te nostri oblitum, Vallæe, recessus
Haud equidem credam. Non virginis antra Dianæ,
Quæque meum viridis circumdat scena Carentam,
Naturæ lætantis opus: Non gemmea prata,
Purpuraque, aurumque, & montani regna Lyæi
Effluxere animo. Meministi, & debita solues
Vota, cadens laxis quæ Sol audiuit habenis;
Cùm sacrum fore iurares tibi Solis honorem,
Sacra etiam fore vicinæ confinia Noctis.
O bona Nox luce aspersa, ô lux proxima Nocti,

Hora Camœnarum requies optata mearum,
Quæ rerum facies, nigræ cùm prauius vmbræ
Arboribus Vesper subiectas conserit vndas,
In vitreum toto descendens monte Carentam?
Dura fluunt tacitis iuga motibus, & tremit absens
Populus, & nitido Silua altera surgit in amne,
Hæc nisi sit nitidum potius delapsa sub amnem.
Hîc quodcumque supra est, demisso cernere vultu,
Et mihi dat prono pater explorare Carenta
Sublimes per Inane vias, sine limite campos,
Ille mihi toties repetito nomine dictus,
Cæruleus pater ac viridis flauusque Carenta,
Et cum purpureis faciem mutatus arenis;
Tot se adeò in species, & tot se vertit in ora,
Obiectosque trahit subitâ contage colores.
Impostura loci, gratusque videntibus error!
Nam tibi deluso, si credis imagine viuâ,
Hîc Nisus Coruique natant, vt in aëre pendent:
Hîc & mersa iacet volucrum gente altior omni,
Semper pacis egens, fœta imbre & grandine dira,
Fulminibusque habitata malis, pars infima Cœli.
Ipsi etiam Astrorum ignes, atque argentea Luna,
Tectaque celsa Iouis fluuio voluuntur in imo.
Sed quid ego, Vallæ, tuum præuertere munus,
Aut tibi sepositos ausim decerpere flores?
Nobilis hæc te cura manet; nec doctior alter

Solennes agitare dies, festasque coronas
Artifici struxisse manu, queis rustica iactent
Numina se, & pulcher formosior exeat Amnis.
Gloria Syluarum, & cœtus Regina pudici,
Nostra Diana latens, Satyris prædantibus impar,
Ac mundo spoliata suo (quis tempora nescit,
Inuenit & quem non iniuria?) Se tibi nudam
Commendat sociasque suas. Ah dedecus istud,
Virginis & te tangat honos! Ah Palladis arte
Atque tuâ, illusas auro sibi sumere vestes,
Pauperiemque mei liceat deponere ruris!
Natiuas contemnit opes, & munera Cœli:
Ornamenta petit Virgo, cultumque Corinnæ
Et Nemesi, & comptæ cari mihi vatis Hyellæ
Inuidet, vt formâ melior, sobolesque Deorum
Vera quidem, non nota licet. Te Diua superba,
Vnum te vocat, & tanto dignatur honore;
Vni se debere cupit quæ plurimus offert
Pastorque & Piscator Amans. Sibi languida Mopsi
Carmina, præcipitisque impura videntur Iolæ.
Damœtæ nec dona placent, gemmasque Phalanti,
Hic mare veliuolum primis sulcauit ab annis,
Alto animo despexit inops; nec diuitis ostrum,
Purpureas nam iactat oues, accepit Hydaspis.
Omnes fastidit quæ te rogat, & sibi littus
Dilectum, fugietque vndas constanter amatas,

Ni celebres littuſque vndaſque & Balnea Diuûm,
Et Speculum Aſtrorum, & noſtri quodcumque Caren-
tæ eſt:
Ni ſoluas pia vota, cadens quæ Phœbus in æquor
Audiit, & Nymphæ plauſu excepere Sorores.

Libri Secundi Carminum

FINIS.

IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII CARMINVM, LIBER TERTIVS.

CEDE DEO, SIVE CHRISTVS VICTOR.

Ad Illuſtriſſimum, & eruditiſſimum Præſulem, ANTONIVM GODELLVM.

CEDE Deo, pridem indomito ſub pectore luctans
Infelix RATIO, & rebus non æqua futuris:
Cede Deo FIDEI, & Titania deſine bella.

Esse aliquid Superos, & Mundi sceptra latentis,
Nec vacuum Cœlum, nec inania Tartara crede;
Nec Mentis viuum illud opus, contage caducum
Corporeâ, in steriles vanescere protinus auras,
Purpureæ-ve animæ mixto cum flumine labi.
Hoc tenue, hoc quo gnaua sapis, quo prompta moueris,
Casibus intactum est, nullo violabile ferro,
Nulla venena timet; morboque potentius omni,
Pondere deposito velox, spoliisque relictis,
Fati expers, tumulique, alium migrabit in Orbem
Ocyus, & puros capient Sæcla altera Ciues,
Clara auro tunc Sæcla, & digna Quiritibus illis.
Infelix, & iniqua tuæ RATIO arbitra sortis,
Quid dubitas, nec certam audes sperare salutem?
Æuum te melius manet & felicior ora,
Si qua fides sacris sit vatibus, & sua vates
Haud perhibent: Cœlo carmen descendit ab alto,
Antiqui quod scire pios voluere minores.
Vlterius ne tende, superba; Ea meta scienti,
Is modus, horrendæ cingunt vicina ruinæ.
Vt regnet dubium est, regnat Deus, ac sine teste
Cuncta mouens, propriæ solus sibi conscius artis,
Se fruitur, longè à Terra & mortalibus ægris.
Hinc dirùm radians, & lumine pulcher acerbo,
Humanum tenebris damnat genus. Ah tibi parce,
Mortalis, diuina angusto in pectore versans,

Parce

Parce oculisque tuis. Vestigia pronus adora,
Impressasque notas, sparsumque in rebus odorem
Collige, nam licitum est, detectasque aspice formas,
Vmbramque, effigiemque, & tanti innoxia terga
Numinis: At vultus fulmen ne quære timendum,
Dum latet, Ignotique obscura in nube quiescit:
Fatalis vultus Cupidis, & morte luenda
Proximitas; procul este Pij, & queis viuere dulce est.
Viuam ego securus nimborum, atque ætheris iræ,
Vallibus in patriis, agroque affixus auito,
Inter oues, tacitus Diuûm mirator Amyntas.
Vmbriferam ad ripam lenisque fluenta Carentæ,
Vitabo ferale iubar. Mihi dulcia tantùm
Littora, & obiectum placeat prospectus in Æquor,
Non ipsum Mare, non timidæ discrimina menti.
Fœcundas Monstrorum vndas, scopulosque nocentes
E terra aspiciam, multâ loca cognita clade,
Et Palinuro etiam & firmis metuenda carinis.
Te sequar, electi custos gregis, optime Daphni,
Nimpharum quondam vates, dum lætior ætas
Ver agit, innocuosque pudicus ludis amores,
Nunc Phœbo meliore calens, Christique sacerdos.
Frondosum longè Idalium, longè alta Cythera,
Et Paphos, & mollis quæcumque altaria Diuæ;
A regno procul atque impuri Numinis aris,
Incedis quà nulla pede est via trita profano,

V

Cœlestisque ipsam Sophiæ deductus in arcem,
Ad pia degeneres reuocasti carmina Musas.
Tu plenus spirante Deo, pèr Celtica rura,
Æternos Christi cecinisti & Coniugis ignes,
His numeris, quos Parisiæ flos nobilis Aulæ,
Romanique viri & Thusci mirentur olores:
Quos etiam Pater Vrbanus laudauit, ab alta
Sede tonans, sanctos, Sorbonâ iudice, versus.
Vt tamen afflatus cœlestisque aura recessit,
Humanosque datur mortali accedere cœtus,
Fraternas acies & Sacra minantia Sacris,
Pugnasque ingeniorum & doctam exosus Erynnim,
Audacisque cauens infausta pericula sensus,
Ipse verecundo non cognita quæris amore,
Nec sapere alta cupis, nubesque habitare sonoras.
Mulcentem radios, iamque haud lethale rubentem,
Infantem nudumque Deum, genitricis in vlnis
Inuisis tutò, & iucundo pasceris ore,
Ardenti prece dilectum proiectus ad antrum.
Numquam-ne oblitus Graiûmque Patrisque Quirini;
Instabilem Stoam exosus fallaxque Lycæum,
Longinqui subitò vitreas Iordanis ad vndas,
Palmarum socius, speluncæque hospes amatæ,
Conspiciar cum vate meo? Saltem ô pie Regis
Fatidici interpres, ô caste & sobrie Naso,
Si pateris, si nostra tuis coniungere vota

Mî licet, admittiſque tuum non durus Amyntam,
Noctem illam illuſtrem Fatis, voceſque beatas
Tecum animo voluam, Solymi quas incola ruris
Audiit, æternùmque recantet in vrbibus Echo.
Immotum ventis dum ſtat mare, dum ſilet æther,
Lunaque formoſos attenta intermicat ignes,
Non magicos ſtrepitus, & verba infecta venenis,
Non triſtes tonat ore minas, turba infera Ditis,
Sed chorus Aligerum, ſuperâ delapſus ab aulâ,
Pacem iterat, Pacem vſque canit, finemque laborum,
Et Dorilæ Mopſoque boni noua fœdera Cœli
Cum Tellure ſua, ac ſopitas nuntiat iras.
Hæc duri Agreſtes & neſcia fallere corda
Auribus hauſere; Hæc eadem gens ruſtica chartis
Mandauere ſuis. An-ne hîc fraus vlla latere,
Et cadere in tales potuit dolus? An tibi Roma,
An vobis cultæ impoſuit ſilueſter Athenæ
Rhetor, & indocto ludibria debuit Orbis?
Tantaque geſſit iners, vero ſine numine, vulgus;
Tot Superûm populus cecidit, tot Templa repentè
Vaſtitiem ſine vi, & fœdas ſenſere ruinas?
Ille Deus, Deus ille fuit, cui Delphica ceſſit
Cortina, & Lyciæ ſortes, atque omnis Apollo,
Thymbræus, Clariuſque & fracto Pythius arcu,
Non fortis, non veridicus, non amplius augur.
Victi illum fugere Ioues, adytiſque relictis,

MAIOR NOS FVGAT, amissas dixere per oras,
Et veterem iniusti Dominum agnouere coloni.
Ille senem Saturnum, iterum dira exta petentem,
Et cultum quodcumque nefas, formidine cœca,
Et Diuûm Monstra omnigenum, & latrantia Nili
Numina, & infandas aras Febrisque Pauorisque,
Exoriens solo obtutu sub Tartara misit.
Ille Homini diuinum aliquid, partemque Tonantis
Materiæ immixtam, Naturæ ab origine dona
Restituit, malus Auguriis & Haruspice multo
Quæ metus abstulerat, turpisque inscitia veri.
E cœno & tenebris conatam assurgere frustra
Vi propria mentem, superasque euadere ad Arces,
Et frustrà Ditis crudelia iussa perosam,
Vnus seruitio indigno vinclisque pudendis
Exuit, & certo dedit ire ad sydera cursu.
Ipsa super sedet Astra FIDES: Sole altior ipso,
Et summo vicina Deo, Mendacia docta
Chaldææ Vranies, facundaque Somnia Graiûm
Calcat ouans; fastusque tuos lucemque malignam
Despicit, obtusumque in apertis rebus acumen,
Infelix RATIO, & Mundo non æqua latenti.

CHRISTVS NASCENS.

MATRE prior, ſummo ſoboles æquæua Parenti,
Edita vel nondum Sæcula mente gerens,
Tellurem qui frugiferam campoſque liquentes,
Qui faber arcana condidit arte Polos,
Nunc operum pars eſſe cupit, nec magna ſuorum,
Oſtenditque Hominem, diſſimulatque Deum.
Contracta in ſpatia atque anguſtum colligit orbem
Vim dominam Cybeles, Oceanique patris,
Ætherei Stygiique Iouis. Tibi ſcire negatum eſt
Hoc, Ratio, in pœnas ingenioſa tuas:
Tu domitâ felix, tu crede Modeſtia, mente,
Et ſolo ad Superos fortis amore vola.
Tale iter vnus Amor, tanta & commercia nouit,
Ingenio vetitas doctus inire vias.
Fecit Amor, Deus vt Cœlo deſcenderet alto,
Inque ſinu Maries dulce iaceret onus;

Arderet nec difficilis iam luce timenda,
Sed tenero innocuum funderet ore iubar:
Fecit, vt Imperij ac Sceptrorum mole relicta,
Ductaret profugos exul & ipſe greges;
Atque necem per mille neces properaret acerbam,
Primus & inciperet triſtia fata dies.
Sic te deformis venientem excepit Egeſtas,
Nudus amas humiles ſic habitare caſas?
Quàm bene nos Aulæ faſtus odiſſe tumentis,
Amplectique Tuos vilia, Chriſte, doces?
Ah veſtis picta, & Tyriis imbuta venenis;
Ah valeant auro tecta ſuperba ſuo;
Et fera ſigna tubæ, & mendacia fulmina Martis,
Quæque tegit Regum Martia turba latus:
Cum tibi, Magne puer, generis cunabula tanti
Præbeat indignos herba lapiſque toros;
Alconque & Dorylas verum vagire Tonantem,
Et ſtupeant ſocium Numinis eſſe pecus.

AMYNTÆ PRECES,

AD REVERENDISSIMVM PATREM, INNOCENTIVM SICVLVM, MINISTRVM, VT VOCANT, Generalem Ordinis Capucinorum.

AVSONIÆ communis amor, Populique togati
Immortale decus, Virtus quem miſcuit Aſtris,
Par Superis Pater, & Franciſci vera propago,
Rumpe moras, animiſque abſens illabere noſtris,
Nam tu mira potes; meliorem me mihi redde
Protinus, & ſubitam venis infunde ſalutem.
Æger ego in tenebris iaceo, meliuſque valere
Cùm datur, & redeunt ignaua in pectora vires,
Cuiuſcumque iugi impatiens, frænum omne peroſus,
Non leges, non iuſſa fero aut miteſcere poſſum.
Magnum opus aggredere, & Romanis nobile Faſtis,
O Pater, ô Franciſci hæres, ô gloria Romæ!

Sancta Salus vestro tandem descendat Olympo,
Morbosque & vitia & labes procul Orbe releget.
Aurora incipiat diuinæ albescere lucis,
Munere & ipsa tuo, quæ primo fortis in ortu,
Fallaces Species, Laruarum examina mille,
Mille fuget rerum per Inane volantia Monstra.
Luminis hoc lumen deductum ab origine summi,
Quo sine non oculi cernunt, sopor omnibus idem est,
Mortalesque animos Somnus premit; hoc, rogo, lumen,
Quod densas Errorum vmbras noctemque profundam,
Doctrinæque Chaos dubiæ sibi cedere cogit,
Victores radios & sacræ tela diei
Per latebras, per mentis agat quoscumque recessus.
Nil negat Ille Suis, quo marmora dura iubente
Induerent humanum animum, & mitesceret æquor.
Quid-ni ergo, si mira licent, Christique fauores
Vnus habes, libeat fluctusque & frangere saxa,
Indomitos animi fluctus, saxa aspera mentis?
Sit per te, sit Christi hostis, Christo hospite dignus,
Dextraque longæuo noua pectora fingat Amyntæ,
Rerum dextra potens, & amoris prodiga virtus.
Me spes illa manet, tantoque auctore, propinqua,
Nec lacrymis non fido meis queruloque dolori.
Chare Pater, venerande Pater, cui Gallia supplex
Tota fuit, nunquam frustrà qui ritè vocaris,
Clamores audi assiduos, mœstoque vlulatu

Confusas

Confusas plerumque preces, iterùmque vocantem
Atque iterùm, & notis complentem vocibus auras,
Garrula quas didicit vicini collis imago,
Pastoresque alij repetunt, cùm dixit Amyntas;
DA VETERES MACVLAS, DA ME ET
MEA ET OMNE QVOD VSQVAM EST,
PONERE: DA QVICQVID NON EST
DEVS, AVSPICE POSSIM (Notra
CONTEMPSISSE DEO. Resonant his proxima
Vocibus antra mei; hæc quercus fagosque docebam.
Jamque ego plus faciam: Tantæ nec dona salutis
Immemor ingratusque, Deum sic testor, habebo.
Vile nihil mihi erit: Custos ad limina fidus
Stabo tua, aut collecto herbas humore rigabo,
Difficilemque colam rastris immanibus hortum,
Vt tibi olus, tibi poma feram: Tum iussa paterna
Accipiam, nutusque silentiaque ipsa verebor.
Nec caput Imperio dignum, nec tangere dextram
Artificem mirorum operum temerarius ausim:
Vestibus at laceris, at nudis oscula plantis
Indefessa dabo: Sed des, Pater optime, mentem
Quam petimus, dum cœca tuas aperimus ad aras
Vulnera, & occultos iactati pectoris æstus:
Dum clades te nostræ orant, nostræque rüinæ,
Quamprimùm vt rebus properes succurrere lapsis.

X

DE TEMERITATE NOVÆ ET PROFANÆ CRITICES.

SEV Dira aut Diua eſt, CHICANAM quam dicere vates
Mopſus amat, procul hoc noſtris ſit Numen ab aris,
Et talem fugiam Diuam. Nil triſtius illâ
Ingratumque magis dedit atri ianüa Ditis,
Harpyias quamuis Hydraſque effuderit Orco.
Vt latrat ſine fine, atque vnguibus hæret acutis
Formoſo cuique: Vt morſus exercet acerbos,
Dente minax letali, & multo fœta veneno!
Sed quid Dite ſata & Tenebris ſibi linquat inauſum?
Sæuit in alta furens, nec ſummo ignoſcit Olympo.
Sydera clara negat; maculas in corpore Phœbi
Arguit obſcœnas: Non fixa Oracula Diuûm
Eſſe ſinit: Facit æthereo conuitia Moſi;

Damnatura ſimul Chriſtum, & quodcumque colen-
dum eſt,
Vltricis timeat ni ferrea iura Tholoſæ.
Jlla potens Legum, Themidis domus, alma Tholoſa
In Terris Superos regnare, nouoſque Gigantas
Diſcere Iuſtitiam monet, & non temnere Chriſtum:
Illa accendit ouans, forti cenſente Senatu,
Conſpicuos toto orbe ignes, queis perfidus arſit
Vaninus, ſtygia in Cœlum cum bella moueret.

NICOLAI BORBONII,

In Academia Parisiensi Græcarum litterarum Professoris Regij, Sacerdotis Inculpatissimæ Vitæ, Oratoris Disertissimi, Poëtæ Maximi Spiritus,

MEMORIÆ.

IAM cessas vigilare, malas & ducere noctes:
Te iam vera quies, te sopor altus habet:
Quin potius sine fine vigil, neque pondere pressus
Corporis, & Superi pars modo lecta chori,
Insomnes oculos mira dulcedine pascis,
Primaque purgatâ Lumina mente vides,
Sub pedibusque Diem Phœbæosque arduus orbes
Despicis, & longè est qua tibi sordet humus.

Elysios quamuis narrent tua Carmina campos,
Christicolas, Damon, certior ora manet.
Illa Pios capit ora, & pectora Numine plena:
Illa sacros Vates, fatidicumque Ducem;
Quos inter, non Hectoreos memorare nepotes
Amplius, ac Regum fortia facta loqui,
Sed Christo iuuat æternos te dicere versus,
Et canere inuictæ sola Trophæa Crucis.
Sic nolis Latio, Damon, comes ire Maroni,
Dum Solymæ possis proximus esse Lyræ.

AD EVNDEM,

INTER COELITES AGENTEM.

SAncte mihi Damon, meliùs iam doctor Amyntæ,
O Pater, ô Cœli qui modò cuncta vides,
Natum visa doce, Mundique Arcana latentis,
Et tenebras certa discute luce meas.
Quæ vis temperat Alta? Est-ne illic plurima Syren,
Quæ celeres mira torqueat arte Polos?
Ætherea-ne domus Horæ sacra limina seruant,
Per quas effusis floret aperta rosis?
Seruas-ne Hesperias Titan se condit in vndas?
Multiplices-ne habitant Sydera vestra Feræ?
Dic etiam an summo descendant Carmina cœlo,
Et veniat nostris mentibus inde furor?
Quàm tibi nũc, Damon, dulce est Mendacia Graiûm,
Et calcare Artis Somnia docta tuæ!

AD

ILLVSTRISSIMVM ET REVEREN-
DISSIMVM PRÆSVLEM,

ANTONIVM GODELLVM,

EXTEMPORALE.

ESTE procul vigili cruciata Poëmata limâ,
Difficilesque nimis nugæ, si Daphnis amico
Excipit ista sinu, subitus quæ effundit Amyntas.
Vera licet memorare, meum non semper ad amnem
Cunctantem Genium atque auersas inuoco Diuas,
Et cadit haud durum carmen mihi; Me quoq; grandem
Romanumque vocat fatalis Virginis arma
Qui canit, Aureliosque Duces nigro inuidet Orco,
Immortalis Olor: Vatem nec dicere falsum
Talem ausim, tantæ tumidus nec credere laudi,
Ni iubeas, nostrumque expellas, Daphni, pudorem.
Credere nempè iubes; animos viresque sed addis

Præterea, summo carmen qui ducis Olympo,
Tu qui mira doces, Superûm tu numine plenus,
Daphni sacer custos ouium, mea gloria Daphni.
Fallit enim rerum nisi maior imago tuarum,
Vero maior imago, & amabilis error Amyntam,
Non sine Dîs tam mira doces, tam arcana recludis.
Nec dubitem te longè à cœno & sordibus istis,
Ignoto liquidum ferri super aëra motu,
Exiliique locum nostrasque relinquere Terras
Sæpiùs, & frustrà captiuum & vincla trahentem,
Æthereæ Solimes promissa inuisere regna.
Quin etiam fama est, viridi modo nota Carentæ,
Tanta habuisse suos nuper spectacula testes,
Quà celer vndisono Rhodanus petit æquora cursu.
Et Mopsus stupuit Pater, & te vidit Iopas,
Iuratusque refert cognatæ ad sydera raptum,
Mixtus vbi Aligerum choreis Cœlique iuuentæ,
Hanc lucem, has flammas Pulchri de fonte bibisti,
Queis nitidus, queis conspicuus, queis cerneris ardens
Hectoridum genti, & Phœbæo concolor auro.
O sanctum altiloquumque remoto in littore vatem,
Sequana quem repetitque piis clamoribus Aula:
Cuius Idumæi responsant carmina colles,
Et per quem rediisse sibi Natumque Patremque
Iordanis gaudet Iessæo è sanguine Reges.
O fortunatos scopulos, felicia rura,

Conscia

Conscia formosæ Vranies, & nobilis otî!
Credo ego, nec mens cœca adeò aut incerta futuri est,
Agresti ludis calamo, mea gloria Daphni,
Daphni sacer custos ouium, quæ semper & omnis
Miratrix Aula ingeminet; quæ sera Piorum
Posteritas discenda legat; quæ Pastor & olim
Ausonius canat, & secretos Sponsa per hortos.
Ista tibi subitus quæ, Daphni, effudit Amyntas,
Auribus haud ingrata tuis si sciuerit esse,
Cur velit assiduâ cruciare Poëmata limâ?
Cur nolit faciles nugas præponere nugis
Tristibus, ac duros æternùm odisse labores?

CELADON
DESPERATVS.

EVridice, Terras pridem & Mortalia temnens,
Sed miserum in primis Celadona, orbosque parentes:
Euridice Euridices hostis, secura Tuorum,
Contempto Celadone ferox, Patriâque relictâ,
An tantum de te licuit tibi? dona Deorum,
Sic ingrata oculis? Sic Phœbi inamabile lumen,
Vt viuam te defodias, animamque tenebris
Insontem, & tristi damnes mea vota sepulchro?
En lamenta virorum, en fœmineo vlulatu
Santonicum littus resonans! Pater ipse Carenta
Te gemit, & lachrymas vicinum portat in æquor.
Quas lachrymas gemitusque imo non pectore fudi?
Queis ego Carmeli scopulos atque inuida saxa,
Crudelesque Teresæ aras non pulso querelis?
Seruo seruo fidem; at pacto pugnatis amori,
Cœlestes, at Naturæ pia fœdera matris,
Innocuasque fero violatis carcere leges.

Ergo ignes castos prohibere & gaudia sancta;
Ius turbare æquumque & promissos Hymenæos,
Indignasque placet Populis ostendere clades
Nympharum, placet & longis spoliare capillis
Euridicen, medioque audere hostilia Templo?
Proh dolor! haud aliter capta Mars sæuit in vrbe.
Et capiti decus & collo rapuere coronas,
Eoï munus pelagi, quod cærula Tethys,
Atque illi pater ipse dedit Neptunus habendum.
Parcite Cœlestes, tuque, ô gratissime Cœlo
Carmele, intonsisque Teresa infensa capillis,
Muneribusque Maris, sed nostro infensior igni,
Me pietas vetat esse pium. Latet abdita nocte
Horrenti, obscuraque caput ferrugine texit
Nympha, decus formæ propriosque exosa triumphos,
Euridice non iam Euridice. Tua funera præsens
Spectatorque vides Celadon; tibi vita superstes
In pœnas fœcunda datur, nec ferrea septa
Dilectæ Euridices, cæcasque aperire latebras,
Nec lucem fas est oculis sperare sepultam.
Heu Fatorum odium! Superis heu natus iniquis!
Nempe iterùm in voces misero libet ire profanas,
Et veniæ alterius Celadon malesanus egebit,
Ni sileat, tacitoque premat sua vulnera sensu.

EVRIDICE VELATA CELADONI DESPERATO.

OLim mente potens, & nobilis arte loquendi,
Olim Vasconicæ gloria prima togæ,
Nunc alter Celadon, quæ te noua mutat Erynnis,
Cogit & incautum sic aliena loqui?
Pura sacra & purè, Triuiæ non Virginis aras
Turpiter effuso sanguine tincta colo:
Nec Celadona odi, sed habet me Christus amantem,
Nec, viridis, littus sperno, Carenta, tuum.
Vrgeor at pulchro Patriæ melioris amore,
Saxa per & scopulos Regna beata peto:
Ipsa etiam spe Regna habito, & iam calco pyropos;
Iam radiis demptas muto superba comas.

AMYNTAS
DE
THIRSIDE,
HEV NON IAM SVO.

QVIS Diuûm mihi te eripuit? quæ dextra cruentum
Ausa nefas? hostis quis fuit ille meus?
Nam cecidi quo tu percussus vulnere, Thirsi,
Formoso infaustam sanguine tingis humum.
Prodigus vsque adeò-ne animæ, per funera nomen
Quæris, & vt viuas, viuere vile tibi est?
Me miserum! mea sunt hæc funera, Thirsis Amyntam
Perdidit, & solo hos sisto dolore dies,
Solo viuo dolore, & acerba munera lucis
Horreo, nec Phœbum curo nouemque Deas.
Nil mihi vobiscum est, Musæ, nil te amplius oro
Phœbe, tuus per nos otia Pindus agat.

Lugemus, veſtræ pateant felicibus ædes,
Impleat & ſanctus pectora læta furor.
Thirſidis ad tumulum calamos chartaſque repono,
Hîc ſtudia, hîc luſus, hîc lyra muta iacet.
Sed nulli ſua damna orbo non magna videntur,
Hîc decus, hîc faſces, hîc mea ſceptra iacent,
Hectorque, Æacideſque & Troia & Græcia noſtra;
Duritia eſt tantis me ſupereſſe malis!

FORTISSIMVS hic, magni animi, & multarum iam palmarum iuuenis, nepos ex ſorore meus, Bertrandi Patraſſij Campanolij ex fratre nepos item fuit. De quo Bertrando Patraſſio non pauca legere eſt in Hiſtoriis Illuſtriſſimi Thuani. Iſta præcipuè, quæ cariſſimum mihi nomen commendant æternæ hominum memoriæ, quæque non iniucunda fore credidi tibi, in cuius manus mea hæc aliquando venient. Quis enim eſt ex Otioſis etiam noſtris, qui bellicis laboribus, militari virtuti, veræ nobilitati non faueat?

TVnc Aumalius ad Bononiæ obſidionem ſedebat, eo conſilio, vt vrbem portu opportunam, ſi eam caperet, Hiſpanæ claſſi ad receptum daret. Præfecti caſtrorum munere in caſtris eius fungebatur Antonius Hamelius Berengliſius, ob ardentem religionis affectum vulgari dicterio per ludibrium à Prouincialibus Tribunus Fidei *vocatus, haud multùm concordi Nobilitate, quæ vanitatem hominis exoſa, minus dictis Aumalij obedientem ſe præbebat. Itaque nihil ferè promouebatur. Tandem cum delectis circiter* CCC. *Caleto ſummiſſis, Bertrandus Patraſſius Campanolius, qui*

Stapulas præsidio tenebat, superuenit, qui introductis auxiliaribus, obsidionem soluit, & cum damno ac dedecore Aumalium retrò cedere coëgit. Iacobus Augustus Thuanus Historiarum lib. XCI.

Cùm igitur Petrus Magister Inquisitoriarum Classium præsès, Blœsas profectus biduo ante rediisset, ibique quæ coram viderat, renunciasset, omnia vasta & tristia, & Regem à cunctis rebus imparatum, de Aurelianensi Arce retinenda etiam desperare; quos possunt, per Vrbem sibi suspectos comprehendunt. Reperti inter vestigandum, Bertrandus Patrassius Campanolius, qui nuper Aumalium ad Bononiam ceciderat; Ludouicus Castaneus Abennius, vir nobilitate, eruditione, fortitudine, & morum probitate insignis, Carolus Chœselius Pralinius, alij, &c. Iacobus Augustus Thuanus Historiarum lib. XCIV.

Itaque Rex statim Monstrolio Bononiam profectus est, postridièque qui in X. Kal. Maias incidebat, cùm neque Anglos ac Batauos auxiliares, tàm paratos, quàm sperauerat, reperisset, vt tantisper dum illi aduenirent, deditionem Arcis (Caletensis) *remoraretur, CCL. delectos ductu Bertrandi Patrassij Campanolij Bononiæ Præfecti, mittit, quos Henricus Turrius Bullonij Dux cum CC. cataphractis equitibus in conspectum Arcis deduxit. Illi verò noctis opaco defensi, summo silentio inter Risbanam turrem & munitionem, quæ ab*

Italis

Italis ſeruabatur, incedentes, recedente æſtu canalem tranſmiſerunt, & intra Arcem accepti ſunt, nuſquam ſe commouentibus hinc inde ſtationibus: Quod grauiſſimè tulit Albertus, nimiâ ſecuritate Italis ignominiosè exprobratâ, atque inde Triuico amoto, & in eius locum Lud. Velaſco cum ſuâ Hiſpanorum legione, ſuffecto, &c. Tantùm temporis effluxit, vltrò citròque commeantibus hinc inde nunciis, vt Albertus, qui introductis intra induciarum ſpatium auxiliaribus, noſtros fide datâ ſolutos videret, vim extremam ſibi tentandam exiſtimauerit. Ad eam ſuſtinendam obſeſſi ſe parabant, à Campanolio confirmati, qui ita iubere ac velle Regem affirmabat; & ad famam pertinere oſtendebat, vt munitiſsimi toto illo tractu crediti loci defenſio ſtrenuè ſuſciperetur. Ex ea nimirum pendere ſucceſſus: Regem obſeſsis præſtò cum auxiliaribus futurum, præmium, ſi animum obfirment, ſi demittant, ignominioſam pœnam deditis irrogaturum. Arx formâ quadratâ IIII. propugnaculis diſtincta, duobus in portum prominet. Ad alterum, quod contra vrbem, vlteriorem proſpectum habebat, & intus cauum aut terrâ friabili, & ad primos tormentorum ictus aperto muro diſsiliturâ oppletum, ex Ronei conſilio, qui id notauerat, verberatio dirigitur, & continuatâ ad meridiem pulſatione poſt IↃCC. ictus diſploſos, diſiecto latè propugnaculo, ab eadem parte, quæ anguſtâ alioqui foſsâ nec mul-

tùm profundâ defendebatur, fit impetus, & vnâ atque alterâ oppugnatione repulsi hostes, plus c̄. ex illis desideratis. Verùm ex nostris plures periere, & Bidossanus ipse Arcis Præfectus, ictu tormenti, dum in primis ordinibus fortiter pugnat, discerptus; Cuius morte cum summa ad Campanolium recidisset, aliquandiù tertiâ oppugnatione à nostris certatum fuit, sed plerisque sauciis, nec integris succedentibus, & oborto feminarum & aliorum oppidanorum, qui in Arce erant, ploratu, linqui animis præsidiarij, ac postremo cedere, & diuersi huc illuc diffugere ceperunt. Qui ad templum arcis confugerant, primum furorem irrumpentium hostium euaserunt, nam nulli obuio parcitum. Reliqui aut interfecti, aut dum per fossam se præcipitant, variâ peste perierunt. Campanolius re bene gestâ, à cunctis desertus, tandem captus est, nec non Dominicus, auxiliarium Batauorum dux, eiusque vicarius, &c. Iacobus Augustus Thuanus lib. cxvi. Historiarum.

AMYNTAS
IN VESTIBVLO EREMI CARTHVSIANÆ.
ELEGIA.

VOS dilectæ Vmbræ liqui, & te nobilis Vnda,
Quæ fluis aurifero pulchrior vnda Tago,
Vt fugerem memores erepti Thirsidis agros,
Sparsit & in Patria quæ simulachra sui
Heu quondam meus ille, & nostri gloria ruris,
Thirsis amor Dryadum Semideûmque comes.
Altera me nunc ora tenet, noua forma locorum est,
Conspicio sanctæ tecta verenda Domus.
Et lachrymæ lachrymis & amor succedat amori;
Optarem lachrymas sed mihi, Petre, tuas,
Pectoris ardoresque tui, fortemque pudorem,
Quì tibi præteritos exprobrat vsque metus.

Quidni & ego fiam, mutatus & alter Amyntas,
Insolitâque furens mente, Poëta sacer?
Æthereos haurire propinquâ è rupe furores
Nam licet, & Cœli spiritus inde venit,
Spiritus antè Elegis, viridique incognitus æuo,
Cùm me iussit iners scribere plura Venus;
Auribus & Procerum atque Aulæ seruire palato
Sors voluit, menti sors aliena bonæ.
Nugarum studium, famulas agnosco Camœnas,
Et multi & miseri vile laboris opus.
Antiquæ citharæ strepitum fudistis inanem:
Impleuit chartas fabula vana leues,
Mortalesque Deæ vati placuere profano,
Errorique meo nomina pulchra dedi.
Dicamus meliora: Mihi non amplius illi
Qui fuit, in Terris displicet omnis amor;
Spernitur & Formæ Imperio præstansque iuuentâ
Lyde Pictonici casta Lacæna soli,
Quæ domitrix inuicta Ducum, Palmisque superba,
Calcat adorato subdita colla pede;
Quæque trahit post se rigidos Lauinia Patres,
Legiferamque docet mollia verba Themin.
Sordent & Glycera & Phillis, quarum illa ferocem
Vrit Hylam, hæc Mopsi pectora dura senis;
Atque ignis, Galatee, tuus, facunda Diana,
Versibus ah nimium dicta Diana meis!

Ni Christi, ni sint Sophiæ cœlestis amores,
Sint procul: Humanum nil sapit iste locus.
Numine plena hæc sunt & Dîs præsentibus antra:
Hic animæ insontes Elysiumque nemus.
Versicolor florum ambrosios diffundit odores
Hortus, & æterno gramine ridet ager;
Ludit vbi Iuuenum pictis exercitus alis,
Ardua cùm Cœli linquere templa libet.
Adsunt hic alij Superi, queis cura Piorum est,
Solennesque agitat turba beata choros;
Sæpius & Bruno manifestâ in luce videndum
Se dedit hîc, niueas aureus inter oues.
Bruno Pater, Bruno intacti gregis optime Pastor,
Tu Stygios terres ore micante lupos,
Armatusque timendâ ipsius luce Tonantis,
Monstra vigil celeri cogis abire fugâ.
Tu strepitu nullo, tu sacra Silentia seruans,
Res agis, & leges figis in ære tuas,
Illæsamque vigere iubes per Sæcula gentem,
Quæ varias Orbis nescit in Orbe vices.
Non vim occultam annorum & damna latentia nouit;
Non fœdâ inficitur proximitate mali:
Innumeras sed per te hyemes, Mundique ruinas,
Omnibus euasit fortior vna malis,
Vicinasque inter pestes & tetra venena,
Constanti potuit pura salute frui.

Muneris eſt hoc, Diue, tui: Maiora ſed addam,
Quæ mihi nec mendax Aula negare velit,
Das vitâ hîc meliore frui, laſſoſque Viarum
Et Maris & Belli, iam ſuper Aſtra locas.
Nos Hoſtes Curæque premunt; nos polluit atra
Quæ gemino ſemper ſpirat ab axe lues,
Aduerſiſque Noto & Boreâ, per naufraga ſaxa,
Hoc quodcumque æui eſt, degimus in tenebris.
Da mî etiam portum & lucem ſperare benignam,
Dum ſubeo caſti limina prima laris,
Mortaliſque æger veſtras mea munera ad aras,
Aſſiduos fletus, corde gemente, fero.
Vilia dona quidem, ſed Dîs accepta ſecundis,
Intima cùm verus pectora mœror habet,
Vindictamque piam & Furias exercet honeſtas
Conſcia mens, ſceleris tacta dolore ſui.
Hæc credam-ne? Madens lachrymis, gemitu æthera pul-
Experior ſurdos ad mea vota Deos. (ſans,
Pergunt Aſtra nocere, nimis conſtanter iniqua,
Ardentique rubent nubila nigra face.
Concilia mihi, Bruno, Polum, tuque & tua turba
Vim facite, & validas ingeminate preces,
Fulmen vt innocuum tenues vaneſcat in auras,
Irritaque offenſi Numinis arma cadant.
Pœnarum ſatis exactum eſt, noſtrique cruoris
Æternas maculas Belgica ſeruat humus.

Debilis, immitique adſum violatus ab hoſte:
Perculit abſentis plumbea grando caput,
Et me ſtrauit Iber quo Thirſis concidit ictu:
Audeo ſed per te ſic quoque nolle mori:
Thirſide viuere vult rapto deſertus Amyntas,
Nec valuit turpem rumpere morte moram.
Vitæ auidus miſeræ, poſt vulnera dira, necemque
Infandam, & lapſæ triſtia fata domus,
Durat adhuc; Fugit at Patriam littuſque Carentæ,
Hactenus in propriis nobilis exul agris.
Thirſide cum charo modo qui florebat Amyntas,
Nam luxere albi tunc mihi, Bruno, dies,
Relliquias tibi commendat languentis Amyntæ:
Infirmis vires artubus adde nouas:
Morborum cura omne genus, Superoſque beatas
Ne pudeat Miſeris applicuiſſe manus.
Sed Superos iam cerno bonos, Cœlumque ſerenum.
Quàm facili noſtras audiit aure preces!
Quàm ſubitò eſt noſtros miſeratus Bruno labores,
Vulneribuſque tulit ritè vocatus opem!
Hoſpes ego Sociuſque & ſub te milito, Diue,
Dumq; traham hanc animam, Teq; Tuoſq; ſequar.
Signa iuuat tam fauſta ſequi, canamque Cohortem,
Et niueos propriâ ſimplicitate Patres.
Parua manus, ſedenim magnis exercita pugnis,
Quas tacita & ſolo Numine teſte geris,

Seu ſternas animum indomitum ſenſuſque rebelles,
Seu conceſſâ iterum voce, Triumphe canas,
Cùm te Dux Erebi, precibus ſupera alta petente,
Ingemit, & vanas iactat in aſtra minas,
Reſpice nos: Dite inuito quæ ſydera tangis,
Siſte gradum, & propius noſtra pericla iuua:
Sis felix, ſis æqua roganti, ô turba Piorum,
Hoſpitiique fauens iura tuere noui.

MALVS MEDICA,
DONO MISSA
IOANNI CAPELANO.

LAurus erat foliis, alium ſed iactat odorem
Auroque argentoque Arbor onuſta ſuo.
Hîc Flora & Pomona; vtramque videmus & in te,
Verbaque cum pulchris ſplendida rebus habes.
Nata igitur, Capelane, Tui, tibi creſcit Imago,
Auroque argentoque Arbor onuſta ſuo.
Sed quoniam hoc ægro morietur ſtipite ſignum,
Altera & hæc forſan viuet Imago Tui.

DE VERBO PARVM PROPRIO,

Quod illi ſcribenti exciderat.

AD IOANNEM CAPELANVM.

SCribens æger erã, & curis ſolennibus impar,
Impoſuitque mihi municipalis Eques:
Nec noſtri cenſent Equites, vt iudicat Aula,
Delicias veſtras nec capit iſte locus.
Haud mala ſæpè animo voluo, ſed ſæpè fatendum eſt,
Verba mihi deſunt, dedidicique loqui,
Et voces proprias cùm quæro aut nomina certa,
Nullus adeſt, à quo doctior eſſe queam.
Ergo aliquam labem & patrij veſtigia ruris
Inque meis chartis qui peregrina vides,
Æquus eris culpæ, cuius, Capelane, fuiſſe
Scis Febrim tempus, Barbariemque locum.
HOC EGO CVM NASONE GETA, AVT NASONE QVIRITE,
SIVE MALVM FECI, SIVE EPIGRAMMA BONVM.

AMYNTÆ AVDACIA.

Celta rudis, pecorum socius, siluester Amyntas,
Quis credat tantos animos in pectore tali?
Antiquam mente Hesperiam & Saturnia regna
Concipit, vt promissa sibi, iactatque Penates,
Æneasque illi pater est, patriusque Quirinus.
Hos vocat ille Suos, & Sacra domestica Troiæ,
Indigetesque colit, matremque antè omnia Vestam.
Sed nimia hæc si sunt; tenuem si ruris auenam
Verba minora decent; Celta & siluester Amyntas,
Accola Santonici Oceani, viridisque Carentæ
Potator; procul à doctis vetus exul Amicis,
Ore Remi linguam pergit violare profano,
Conaturque Latina, & scribere versibus audet,
Nec calamis cessat niueas corrumpere chartas.
Sit pudor huic aliquis: Det cauta modestia frænos

Indomito nimis ori, & iuſta ſilentia ſeruet
Barbarus, vt veſtras obtundere deſinat aures
Æneadæ. Tu Strada, & tu lux altera Romæ,
Galluti, antiquis non inficiande Sabinis
Poſt tot ſæcla nepos, Alpes opponite totas
Auſibus externis. Vos iſta iniuria tangit
Præcipuè, & Genti Baccas miſcere Togatæ
Indignum putat Æneas veſterque Quirinus,
Indigeteſque alij. Materque ante omnia ſanctis
Veſta focis timet, & CELTAS ARCETE LATRONES
FINIBVS AVSONIIS, Tarpeij in culmine ſaxi
Clamat adhuc, ſi cuncta ſilent, argenteus Anſer.

FICTA

PRO ANTIQVIS.

CONIVRATIO IN AVGVSTVM, DETECTA.

De qua fortè Velleius Paterculus lib. 2. Hist. Erant tamen qui hunc felicissimum statum odissent. Quippè Lucius Murena & Fannius Cæpio, &c.

Tantum-ne in Patriam liceat tam imbellibus armis?
Exanguis tantum Inuidia, & Fraus aulica possit?
Securoque Ioue, & Superis absentibus acta
Postera gens stupeat, cæcus quæ inceperit ardor?
Hoc Parthus velit, & magno mercentur Alani.
At prohibent fata Imperij, & vis prouida rerum:
Nec sinis, ô dudum ingratis succurrere Terris
Qui datus es, Patriæque ægræ componere corpus:
Præsentesque Deos, Fortunamque omnibus æquam
Consiliis, omnique videmus adesse labori,
Quem pro Vestæ aris & suscipis arce Quirini.

Iuliade, ſcis cuncta, neque eſt te fallere cuiquam.
Scilicet occultæ prima incunabula culpæ,
Conatuſque ipſos ſcelerum atque elementa nocendi,
Et grauidam nubem exitiis, cladeſque paratas
Obſeruas alta è ſpecula, naſcentiaque Aulæ
Viuere Monſtra vetans, ruituro conſulis Orbi.
Si tenebras animorum, & noctem diſcutis atram,
Obſcuroſque dolos rerumque ignota recludis;
Si lucet Styx ima tibi; quis iam impia tutus
Cogitet, & tacitas auſit ſibi credere labes,
Nec Reus ipſe ſui factus modo criminis Index,
Horreat arcanos, inimica vt claſſica, ſenſus?
Quis Genium, data cui propriæ ſit cura ſalutis,
Poſthabito iuſſum officio, Maiora tueri,
Non pallens tremat, & Diuos in corde latentes?
O Pater Æneadum, ô Veneris ſanctiſſime ſanguis,
Exercet tua vita Deos quoſcumque, nec vlla,
Vlliuſque, aliena tuis ſunt Numina Fatis.
Audeat infanda & tentet Terræ impia proles,
Te ſeruat vigil, atque vni timet omnis Olympus.

AD TIBERIVM CÆSAREM.

SI dapibus diris, & ſanguine veſceris atro,
Si ſatur obſcœnam ſpargis vbique famem;
Si grauis Europæ atque Aſiæ, cladeſque metuſque
Diuidis, & vexas Solis vtramque domum;
Pulchrum hoc, Sæue, vocas; Sunt hæc tua dona, Tyrãne?
Munus, crede mihi, pulchrius illud erit,
Morte leua Gentes; miſero redde otia Mundo,
Tandem agat vt feſtos, te pereunte, dies.

AD

TIBERIVM CÆSAREM

IN MORBO MORTEM SÆPIVS OPTANTEM.

TErra Ioui, facit & lentis conuitia Fatis,
Quæ tot lustra, tuum sustinuere caput;
Nec iam Ægri tristes Furias, viuumque cadauer
Sæuire in Proceres, in Populosque vetant.
Quid Parcam fraudas toties, mortemque moraris?
Perge bonâ, quæso, velle perire fide.
Exaudi pia vota Vrbis: Fac debeat Aras
Febri iterùm, & Mundum liberet atra lues.
Hoc vnum est quo tu placeas, inuise Tyranne:
Aude, age, vt absoluas Fata reumque Iouem?

LIBER-

LIBERTATIS SPES,

POST MORTEM TIBERII CÆSARIS.

Libertas oritur, crudelem Tartarus vmbram
Vltor habet, nostra possumus arte frui;
Et tutum est celebrare Deos, odisse Gigantas,
Thura dabat spreto queis modo Terra Ioue.
Impunè Atrides ridebitur: Et tua Cassi
Laus erit, & Brutos Martia Roma colet;
Dictatorque gemens toto cantabitur orbe,
Confixus stimulis, docte Catulle, tuis.
Hactenus Exilia, atque empto sub iudice Mortes,
Heu dura insontis pœna fuere Ioci:
Nunc Satyras; Nunc fulmineos vibremus Iambos;
Non timet iniustam nobilis ira Themin.

INDIGNATIO
IN POETAS NERONIANORVM TEMPORVM.
AD NOBILISSIMVM
SAM-MAVRANVM,
MONTOSERII MARCHIONEM.
MAIORIS OPERIS FRAGMENTVM.

*** *IMbelli-ve negat quis carmina Sillæ?*
Iamque vbi non cessisse tibi, trux Semiuir, audis
Bacchumque, Alcidenq; & natum Marte Quirinum?
Sed bona Posteritas, Latiis ne credite Musis:
Non illis studium Veri, non proxima Vero
Falsa sat est, & Troianos finxisse parentes,
Atque auiam Cytheræam atque Vmbras sydera factas.
Ludere non animus solita & Romana, neque illis

Impostura Aulæ speciosa, & nobilis arte
Fucus, at abiectæ periura audacia Plebis,
Insulsæque placent fraudes, turpisque libido
Laudandi infanda, & fœcundos Cladibus annos.
Ergo Famem obscœnam, aut epulis infusa Venena,
Et Populum exanguem, pinguesque in funus Amicos,
Et molle Imperij senium sub nomine Pacis,
Et quodcumque illis nunc aurea dicitur ætas,
Marmoreæque canent lachrymosa incendia Romæ,
Vt formosum aliquid, nigræ & solatia Noctis?
Ergo canent pridem extincto de Cæsare Laurum,
Cæsareosque lares non vna cæde cruentos,
Vt victi caput Arsacidæ, vel funera Daci,
Et Tanais Scitico corruptas sanguine lymphas?
Ergo Deûm torpore & fato Matris ouantem,
Maternisque paratum vltro concurrere Diris,
Atque alios angues, peiusque ostendere letum,
Horrendasque canent, sancta vt connubia, Tædas?
Nil Musas cecinisse pudet, nec nominis olim
Virginei, famæque iuuat meminisse prioris.
Ah pudor extinctus, doctæque infamia turbæ,
Sub Titulo prostant; & queis genus ab Ioue summo,
Res hominum supra euectæ & nullius egentes,
Asse merent vili, ac sancto se corpore fœdant.
Scilicet aut Menæ faciles parere superbo,
Aut nutu Polycleti & parca laude beatæ.

Vſque adeò maculas ardent in fronte recentes,
Heſternique Getæ vincla & veſtigia flagri.
Quin etiam Patrem oblitæ & cognata Deorum
Numina, & antiquum caſtæ pietatis honorem,
Proh Furias & Monſtra colunt, impuraque turpis
Fata vocant Tityj mandata, & quicquid Olympi eſt,
Tranſcripſere Erebo. Iamque impia ponere Templa,
Sacrilegaſque audent Aras, Cœloque repulſos
Quondam Terrigenas, ſuperis imponere regnis,
Quà licet, & ſtolido verbis illuditur Orbi.

Jlle ego nempè Remi ſanguis, mediaque Suburra
Natus, vt Alconi noſtroque videtur Iolæ,
Montoſide armipotens, Cœlum indignatus onuſtum
Sordibus Auſoniæ, ac ſcelerum ſub mole laborans,
Donataſque Aras Monſtris & Thuris honores,
Lucano Senecæque iratus, talia fudi.
Hi Latias fœdo temerarunt carmine Muſas,
Inceſtamque Aulam & Dominos coluere profanos;
Chryſippum licet inter auos, toruumque Cleantem
Iactarent, tumidoque eſſet Cato multus in ore.
Hi Mundi peſtem atque ſuam, & florentis Erynnim
Laudarunt Patriæ, dederuntque in crimina vires
Cunctanti timidoque, vt cætera turba Poëtæ
Haurirent labem exempli, dirumque venenum.
Aſt alibi rigidi ſoboles abiecta Cleantæ

Det pœnas, ſeruoſque, genus venale, Poëtas
Flagra notent; Mea, Montoſide, tibi pagina plaudit,
Lucano parcens Senecæque, immenſaque largi
Dona Poli, ſanctaſque artes, & plurima Phœbum
Laudabit Martemque tuos, dum clarus vtroque,
Immitem placido moderaris Numine Diuum.
Interea fictum non diſplicuiſſe Quiritem
Sat fuerit, dulceſque irato in carmine ludos,
Exhibet ignauas quos Muſa exoſa ſorores.
Verùm Vrbis ſi delicias, Æuique beati
Auram me ſpirare putes, nec Celtica chartis
Auſoniis immixta legas, tunc ſydera tangam
Vertice, tunc ipsâ Capitolî in rupe triumphem:
Tunc Lælî vel Scipiadæ ſim poſthuma proles,
Et ritè Alconi, ac noſtro videatur Iolæ.

IN EFFIGIEM FLAVII DOMITIANI CÆSARIS.

DII quanta impostura oris! cui Risus Amorque
Insidet, & timidos inuitans Gratia Ciues,
Iucundum frontis dum spargit in obuia lumen.
Sed fugite hinc: Irarum ignes, Odiique venena,
Pectora fœta dolis, longæque in Sæcula fraudes,
Pestis naufragiumque Piorum, & quicquid iniqui est,
Tam blando tegitur vultu: Latet improbus imo
Corde animus, produntque occultum nulla Tyrannum
Signa oculis. Populos contraria fallit imago,
Quæ sanctum, ingenuoque illustrem flore Pudorem,
Quæ Venerem haud vnam, purumq; ostendit Olympum.
Sed fugite hinc, iterum moneo: Non tristior Orcus,
Innumeræque habitant tali sub tegmine Diræ.

STILICONE
ET
EVCHERIO CÆSIS
ARA LIBERTATI.

HAnc reduci, bona Libertas, tibi ponimus Aram,
Vt cadat ante ſacros victima multa focos.
Sufficient flammas numeroſa volumina Laudum,
Sed primum chartas, Mulciber, vre meas:
Vre, Pater, chartas, verſuſque abſume pudendos;
Iuſſerat hos, diro ſub Stilicone, timor.
Tunc etiam indecori celebrauit voce Tyrannum
Phœbus, in oppreſſa transfuga factus humo.
Iam vis illa fuit: Iam ferrea deſiit ætas,
Infeſtique Bonis præteriere dies.
Cum Caſtris Patribuſque & tota gente Quirini,
Iam ſequitur partes liber Apollo pias.

PIÆ LAVDES, STILICONE OCCISO.

IMpleuit modò qui tantis terroribus Vrbem,
Pressit & indigno regia colla pede,
Occidit ille Socer dirus; iacet ille togatus
Hannibal, Vltori victima grata Deo.
Sat Musæ timuere trucis mandata Tyranni,
Laudauitque hostem territa Roma suum:
Tu, Cæsar, mihi carmen eris, Stilicone relicto,
Vt iam sit pietas quod fuit ante metus.

RIDENDÆ

RIDENDÆ LACHRYMÆ, AD FRANCISCVM MARIAM FVLVIVM.

VSque adeo-ne nouum est communi occumbere leto,
Et canos, Francisce, mori mirabere vates,
Ægonisque necem velut, indignatus, acerbam,
Crudeles Superos, crudeliaque Astra vocabis?
At quis Pierij superest vetus incola Regni,
Aut quem in secretis seruauit Musa viretis?
Vtque animas taceam, rapuit quas Parca, minores,
Num natus Sirene, atque ipse innoxia Siren,
Præceptor teneri milesque Marinus Amoris,
Occidit, Idaliæ caneret dum furta Diones?
Num nostri fleuere oculi, quem nostra parentem
Dicebat pietas, & cui tot pignora restant

Omne genus vatum, dulci quondam ore Malherbam?
Hoc quodcumque vides, quòd celſa Palatia laudant,
Atque adeò in ſyluis quòd garrula cantat imago,
Non longùm laude & cantu lætabitur illo.
Non tardam placitura nimis nouere ſenectam:
Exigui munus breue temporis, optima rerum
Forma fugit, Terræque Orcus citò carpit amores.
Et nobis, Franciſce, patenti currere campo
Si licet, ac paulò tecum per amœna vagari,
Quot proprij occurrent monumenta aliena doloris?
Quot præmaturi ſimulachra inſignia leti?
Albicat Heſperidum cultis quæ Malus in hortis,
Verticeque ambroſium latè diffundit odorem,
Mox ſæui Boreæ furiis florere peremta
Deſinet, & canos vrent mala frigora flores.
Nec Paphiam Myrtum, nec claris præmia Lauros
Frontibus Aonias, natamque in Cecropis arce
Almam Oleæ ſtirpem melior fortuna ſequetur:
Nempè vt victuræ moriturâ è fronde coronæ
Naſcantur, claraſque iuuent folia arida frontes!
Sed vim Fatorum & triſtes denuntiet iras
Quid tibi priſca Hellas, vaſtum quærenda per æquor?
Quid fragili teneras memorem tibi cortice plantas,
Hortorumque decus lapſum, floreſque caducos?
Hæc ſolida, hæc dura immotis ſuperaddita ſaxis
Pontis ſaxa Noui, certæ damnata ruinæ,

Iurati non effugient decreta Tonantis.
Sera ſit illa dies, noſtroque incognita Sæclo,
Verùm erit ipſa, ingens, populoſa Lutetia, buſtum,
Marmoreaſque domos, vicinaſque arcibus Arces
Æthereis, multoque auro radiantia Templa,
Et Themidis ſedem & Sophiæ longa atria ſacræ,
Campumque, Vranies vbi docto in puluere ſulcos
Ducit, & immani ruptas clamore Cathedras
Rhetorices, reliquiſque habitata vmbracula Muſis,
Nunc gente innumera, & ſtrepitu feruentia multo,
Vaſtities horrenda & mutus torpor habebit,
Totiſque impendent æterna ſilentia Terris.
Per partes ruit intereà pulcherrimus Orbis,
Occidit & toties. Finis datus omnibus, vrget
Inſontes etiam, primoque in flore dierum,
Pœnaque mors vitæ eſt, & nox luci imminet atra,
Et ſua quamque manent æterna ſilentia linguam.
Aſpice, quà virides iam non iactantior vmbras
Lucus habet, loca magniloqui celebrata Camœnis
Borbonij, quanta temeratum eſt nobile morte
Balneolum? quales hauſerunt funera curas?
Qui fandi latices? quis rerum exaruit, ante
Oceanus circùm exundans, littuſque repellens?
Ingenij quæ diuitiæ? quis gentibus vſus?
Ille Deûm Interpres, Franciſce, & publica Mundi
Lingua tacet, neque iam populos explebit hiantes.

Truncus iners tantùm est, & magni nominis vmbra
Sola volat: Tamen hunc coluit sanctusque Senatus,
Ausoniusque Pater, dominamque assurgere Romam
Vidit, & æquales Superis sibi plaudere Reges.
Testes Parisij, & sedes dilecta Dianæ,
Nymphis dicta Domus Belli de nomine Fontis,
In Christi profugos docta cùm voce tonaret,
Et patrio Errorem lacerum demitteret Orco.
Tunc fixit Monumenta æternis condita Fastis:
Tunc fuit, & meruit dici Romanus Achilles;
Germanamque manum, atque inimicæ castra Geneuæ,
Et dirum auertit Tarpeijs arcibus Anglum.
At Bellum simul, & Tarpeia palatia liquit,
Plaudentemq; Aulam, & resonantia nomine Templa,
Et Monumenta sui, & plenos se vindice Fastos.
Tileni clarus spoliis, domitorque superbi
Plessiadæ, partis diuerso ex hoste trophæis
Immoritur, proprij lumen Perronius ostri;
Vidimus & lucem extinctam & calcata Trophæa,
Aonidasque orbas, & tunc sine Principe Pindum.
I modo tu, ciuesque sui post funera Regis,
Indignare mori? I stolidas sine pectore dextras,
Post tot Barbara Scripta, impuri Monstra cerebri,
Desertis dextras calamis viduæque papyro
Deesse dole? I numerum minui & decrescere vulgus
Impatiens vatum, Naturæ rumpere leges

Queſtibus aſſiduis tenta, & conuicia iunge
RIDENDIS LACHRYMIS, *plebeij in morte Poëtæ?*
O nimiùm qui pingue ſapis, qui vilia laudas,
Indigno igne calens, maleſane Ægonis amator,
O Franciſce, æui Hiſtorias oblite prioris,
Quis tuus iſte error, quæ rerum inſcitia tanta eſt?
An ſperas Ægoni immitem flectere Parcam,
Blanditiis precibuſque & craſſæ nomine Muſæ,
Cùm non Parca Lino, non Parca ignouerit Orpheo,
Commendent Superi quamuis vtrumque parentes,
Orpheum Calliopea, Linum formoſus Apollo?

PHILOMELA
INGRATVM CANENS.

AVT ægra aut indocta, tuo neque nomine digna es,
Tam lentè ac durùm quæ Philomela canis.
O murmur malè gratum! ô rauco è gutture questus!
O numeri, nunquam quos docuisset Amor!
Mutatas-ne putem nostro quoque tempore formas,
Et volucres fieri per mea rura nouas?
Credo equidem; hîc dulcis post frigora tussit Habertus,
Vel solita cantat stridulus arte Moges.

DE NOVIS PRINCIPIBVS.

AVroram, & dubiæ vix dum data munera Lucis,
Naſcenteſque licet dicere Veris opes,
Quamuis nigra tegant ortam mox nubila Lucem,
Obruat & vernum grando maligna decus.
Vatibus hic mos eſt, & me quoque credere vatem
Grotiades iuſſit Borboniuſque pater.
Ergo cano ventura, & ſpes ſurgentis Iüli,
Incœptoſque aliqua cum pietate dies.
Laudo nouos Dominos: Fingit ſibi nempè quod optat,
Et ſueuit votis quiſque fauere ſuis.
Vos Domini, quos pulchra ſitis famæque cupido,
Victurique adeò nominis vrget amor,
Ah ne vota Bonorum & laudes perdite noſtras,
Ah facite vt liceat fingere vera, mihi.

DE

POESI SVA AMATORIA,

AD REVERENDVM PATREM, IOANNEM FEBRVARIVM, SOCIETATIS IESV THEOLOGVM.

QVI tenebris lux certa meis, ſpeſque vna ſenectæ,
Inualido facilem pandis ad Aſtra viam,
Si tibi relligio eſt noſtras malè perdere Muſas,
Oro, Pater, medica vulnera facta manu,
Oro æquas in Scripta notas Cenſoris amici,
Vt vigili & cauto lecta fuiſſe ſciam.
Illa quidem Nugæ inſontes Luſuſque putantur
Haud vetiti, & luſit ſic pia Roma priùs,
Perroque Portæuſque Sacri cecinere profana:
Non exempla tamen, ſed tua iuſſa ſequor.
Trado, Pater, tibi, captiuas, ſine vindice Muſas,
Siue iubes mutilas viuere, ſiue mori.

EX

EX. VOTO.
FOCVS. ET. ODORES.
CHRISTO. OBLATI.
IN MONAST. RR. PP. FVLIENSIVM.
S. MAXIMINI. AD. LIGERIM.

ET. CANDORE. NIVES. ET. LVMINE. PROVOCAT. ASTRA.
ARTIFICISQVE. OPVS. EST. GLORIA. PRIMA. SVI.
AMBAR. CÆRVLEIS. MISIT. NEPTVNVS. AB. VNDIS.
ADIVNXIT. SOCIAS. DÆDALA. DEXTRA. ROSAS.
CHRISTE. TVI. NOSTRIS. PASCANTVR. ODORIBVS. IGNES.
BALSACIOSQVE. HABEAT. DIGNIOR. ARA. FOCOS.
SED. REVS. IMPVRAS. VNGVENTO. HIC. MISCEO. SORDES.
FAC. AMOR. HAS. FACIAT. DONA. SECVNDA. TVVS.

AT. NEQVE. SIT. DVRVM. MATRI. NEQVE. MATRIS. ALVMNIS.
CHRISTE. OFFERRE. TIBI. QVÆ. TIBI. CVMQVE. FERO.
O. MARIA. O. BERNARDE. O. TVRBA. DOMESTICA. CHRISTI.
VESTRVM. ERIT. HOC. DONVM. SI. MEA. DONA. PLACENT.

Libri Tertij Carminum
FINIS.

IOANNIS

LVDOVICI

GVEZII BALZACII

CARMINVM,

LIBER ADOPTIVVS.

RVS

ET LVSVS RVSTICI.

AD

IOANNEM CAPELANVM.

HI-NE tibi Colles, hæc Silua, hic gemmeus Amnis,
Et Domus & Dominus vilia ſemper erunt?

Sunt tamen hîc, Capelane, Dei; sunt plurima Cœli
Munera, sunt mentis Gaudia vera bonæ.
Sed si nulla mei tangit te gloria Ruris,
O decus, ô Vrbis sceptra tenentis amor,
Non ideò offendent fastidia tanta sodalem,
Blandiri-ve oculis desinet ille tuis:
Accipe selectos alieni Ruris honores,
Quæque tulit docto vomere cultus ager.
Qui coluere, piis sunt nomina grata Camœnis,
Nec veteri soboles inficianda Remo;
Nomina sed lateant; tibi sat se Roma probabit,
Barbaraque Ausonius poma negabit odor.

O Delicati blanda Ruris otia
Curis & ambitu procul:
O dulce murmur limpidorum fontium,
O grata nemorum opacitas,
O ſibilantes arborum ingentum comæ,
O prata verè gemmea;
O ſolitudo amica cogitantibus,
O horror, ô ſilentium,
Cui nunc canoro gutture obſtrepunt aues,
Nunc canna Paſtoris vagi,
Seu manè oues in læta ducit paſcua,
Seu veſperè reducit domum.
O menſa nec luxu affluens, nec ſordida,
Dapibus parata ruſticis,
Quas non, Heri languentem vt irritet gulam,
Doctus ſoporauit coquus;
Sed filiis iuuenibus & ſeni viro
Seuera coxit villica.
O bibliotheca nota paucis, ô libri,
Quos rara contrectat manus.
O cella tantùm lectuli vnius capax,
O Somne liber, & leuis:

O ad beatam tuta vitam semita,
Ignota Vulgi sensibus:
Vt vos requiro: Vt mente vos tota expeto,
Alia perosus omnia.
Vt lætus ad vos tendit, & gazis libens
Vos anteponit Persicis,
Quicumque puro pectus Olmeo lauit,
Frondemque mordet Delphicam.
*Quid tu, * * * cui Profanis inuios*
Adire fontes contigit,
Partes-ne easdem sequeris, an siti mala
Opum, aut perustus Gloriæ,
Amœnitati Ruris & dulci otio
Vitam anteponis aulicam?
O per Lycæi cognitos paucis specus,
Quos sæpè lustrasti puer,
Ne sperne amicus consilî quod dat senex,
Quodque sibi, sed serò capit.
A litterato te otio auocantibus
Occludito aures & fuge,
Canora Monstra vt auribus cera oblitis
Laërtis effugit puer.
Beata vita non metallo aut Indici
Spoliis paratur æquoris.
Animo appetenti pauca, quod sat est, sat est:
Auido atque inexpleto, nihil.

Cùm tibi ſit, vnde liber, & planè tuus
Vitam quiete tranſigas;
Quis, heu, furor te, quis rogo, impellit furor,
Vincla vltrò vt induas tibi,
Et more pulchrum viuere alieno putes,
Nutus timentem Diuitis?
Age, rumpe nexus, & iugum collo excute,
Vindexque & aſſertor tui,
Aude eſſe felix, & procul cuncta amouens,
Quæ mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri ſpatia decurre Ætheris,
Æterna tantùm cogitans:
Et iſta Sortis lubricæ ludibria
Miranda Vulgo deſere.
Vtinam mihi olim, flore cùm primo rudes
Iuuenta opacaret genas,
Amicus aliquis iſta monſtraſſet ſenex,
Quæ nunc tibi ipſe cantito:
Non ego periſſe luſtra tot in Aula mihi
Vanis dolerem queſtibus.

Manè venit, iuuat Auroram Solemque videre
Nascentem, qui non alio consurgit Eoo
Pulchrior, vnde noua lætantur singula luce,
Et siluæ, scopulique, & pictus nubibus aër.
Parte alia Benacum alto de colle saluto,
Centum cui virides inuergunt flumina Nymphæ:
Ipse sinu magno genitor, magno excipit amne.
Tum iuuat aut spectare boues mugitibus alta
Complentes nemora, aut pulsas in pascua capras.
Præ caper it, cui barba iubat, cui cornua pendent
Intorta, & grandes olido de corpore setæ.
Ponè gregem reliquum compellit harundine virgo
Vpilio, multo armantur cui balthea fuso.
Interea Natos discentes rustica amare
Numina, vicini nemoris gelidam voco in vmbram,
Qui libros, qui secum horæ solatia portent.
Hic legitur viridique thoro, saxo-ve sedetur
Glandiferâ sub Fago, aut Castaneâ hirsutâ.
At variæ circum siluis, & frondibus altis
Assuetæ ludunt volucres, atque æthera mulcent.
Tum densum nemus, atque vmbræ per gramina læta

Ieiunas

Ieiunas nos inuitant ſpatiarier horas.
At feſſi hæc inter pueri ſitiuntque, dolentque
Plus æquo retineri, & iam Muſaſque, libroſque,
Et Pana, & gelidi pinus odere Lycæi.
Ergo præcurrêre, & aquas, & vina pararunt
Lucenti in vitro, & flores ſparſere nitentes.
Aduenio: Primas atro lita mora cruore,
Aut groſſi menſas ineunt, cors cætera, & hortus
Sufficit. Interea crebrò ſonat area pulſu,
Increpitat ſeges, & duri ſub Sole coloni
Alternis terram feriunt, & adorea flagris.
Fit clamor, reſonat tellus rupeſque propinquæ,
Et paleæ ſurſum ſtrepitu iactantur inanes:
Læta Ceres alto ridens deſpectat Olympo.
Vmbra diem reliquum, ſomnus, librique, viæque
Producunt, dum ſiccam æſtu Canis excoquit vrbem.
Verùm, vbi cæruleis ſerus ſeſe extulit vndis
Veſper, & in Cœlum ſurgentia ſydera vexit,
Vicina è ſpecula, magni admirator Olympi,
Alta rupe ſedens gnatis aſtra omnia monſtro,
Accendoque animos patriæ cœleſtis amore.
Illi admirari, & cognoſcere ſydera diſcunt,
Cæpheáque, Arctónque, & ſeruantem plauſtra Bootem.
Hæc ergo præferre vrbi, & contemnere magna
Si poſſis, quid te teneat, ne tu ocyùs ad nos
Accurras? Etiam has ſedes, hæc limina magnus

Naugerus subijt, nec dedignatus adire est
Battus amor Musarum, ipsum quo tempore primus
Pana, atque antiquos cecinit Telluris amores.
Hîc me etiam desueta Deæ, Medicumque, Senemque,
Carmina iusserunt canere, & ridere beato
Illudentem Vrbem, & malè sani murmura Vulgi.

ASPICE, magna Ceres, tibi quos ſemente peractâ
Ducimus agreſtes, ruſtica turba, choros.
Tu face, ne nimio ſemen putreſcat ab imbre,
Neu ſulcos rapido frigore rumpat hyems:
Neu ſterilis ſurgat ſilua infelicis auenæ,
Et quæcumque bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ proſtrata animoſi flatibus Euri
Decidat, aut denſa grandine læſa ſeges:
Neu direpta auidæ rapiant frumenta volucres:
Monſtra-ve, quæ Terræ plurima ſæpè ferunt:
Sed quæ credidimus benè cultis ſemina campis,
Vberiùs largo fœnore reddat ager.
Sic erit. Intereà niuei carcheſia lactis
Fundite, & annoſo mella liquata mero.
Terque ſatas circùm, felix eat hoſtia, fruges:
Cæſaque mox ſanctos corruat ante focos.
Nunc ſatis hæc. Poſt meſſem alij reddentur honores:
Et ſacras cingent ſpicea ſerta comas.

AVRÆ, quæ leuibus percurritis aëra pennis,
Et strepitis blando per nemora alta sono:
Serta dat hæc vobis: Vobis hæc rusticus Idmon
Spargit odorato plena canistra croco.
Vos lenite æstum, & paleas seiungite inanes:
Dum medio fruges ventilat ille die.

ET gelidus fons eſt, & nulla ſalubrior vnda:
Et molli circùm gramine terra viret:
Et ramis arcent ſoles frondentibus alni:
Et leuis in nullo gratior aura loco eſt:
Et medio Titan nunc ardentiſſimus axe eſt:
Exuſtuſque graui ſydere feruet ager.
Siſte Viator iter; nimio iam torridus æſtu es:
Iam nequeunt laßi longiùs ire pedes.
Accubitu langorem, æſtum aurâ vmbrâque virenti,
Perſpicuo poteris fonte leuare ſitim.

VMbræ frigidulæ, arborum ſuſurri,
Antra roſcida, diſcolore picta
Tellus gramine, fontium loquaces
Lymphæ, garrulæ aues, amica Muſis
Ocia, ô mihi ſi volare veſtrum
In ſinum Superi annuant benigni;
Si dulci liceat frui receſſu;
Et nunc ludere verſibus iocoſis;
Nunc ſomnum virides ſequi per vmbras;
Nunc mulgere meâ manu capellam,
Lacteoque liquore membra ſicca
Irrigare per æſtum, & æſtuoſis
Curis dicere plurimam ſalutem:
O quæ tunc mihi vita, quàm beata;
Quàm vitæ ſimilis foret Deorum!
At vos, ô Heliconiæ Puellæ,
Queis fontes, & amœna rura cordi,
Si cara mihi luce cariores
Eſtis, iam miſereſcite obſecrantis,
Meque vrbis ſtrepitu tumultuoſæ
Ereptum, in placido locate agello.

Formosa silua, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum,
Quàm me beatum, quàmque Dîs putem acceptum,
Si viuere & mori in sinu queam vestro!
Nunc me necessitas acerba longinquas
Adire terras cogit, & peregrinis
Corpusculum laboribus fatigare.
At tu, Diana, montis istius custos,
Si sæpè dulci fistula tuas laudes
Cantaui, & aram floribus coronaui,
Da citò, Dea, ad tuos redire secessus.
Sed seu redibo, seu negauerint Parcæ,
Dum meminero mei, tui memor viuam,
Formosa silua, vosque lucidi fontes,
Et candidarum templa sancta Nympharum.

ANtè canes omnes paſtori charus Iolæ,
Nuper ab Illyrico littore miſſus Hylax,
Dum ſolitas agit excubias, & ſepta tuetur,
Nec vigilant ſocij cætera turba canes;
Quâ rapidus ſeſe media inter ſaxa Timauus
Mergit, & inde iterum proſilit amne nouo,
Ille quidem ſæua vitulos tutatus ab vrſa eſt,
Ipſe ſed ingenti vulnere cæſus obit.
Conſtituit viridi tumulum de ceſpite Iolas:
Hæc voluit raram præmia habere fidem.
Mœſta gemunt armenta: Mali fureſque lupique
Extincto hoc ſibi iam cuncta licere putant.

VEnator celerem mœrens Augona Melampus
Confoſſum rapido dente ferocis apri,
Hac illi in ripa tumulum, frondente ſub vmbra,
Erigit: Hoc ipſo concidit ille loco.
Non impunè quidem prædo ſceleratus abiuit:
Procubuit iaculis cæſus & ore canum.
Tu tamen è cunctis canibus præſtantior Augon,
Fide Augon, ſiluis qui modo terror eras,
Tu dilecte iaces * * * * * * * *
* * * * * * * * * * * *

PRincipiò cristâ insignis, paleâque rubenti,
Et gressu intrepido, calcaribus aspera duris
Crura mouet, rauisque oculis procul omnia
lustrat:
Picta micat variis fulgoribus ardua ceruix.
Ostentat validum pectus, fortesque lacertos,
Præliaque infesti meditatur acumine rostri.
Aspiciant vasti qualem si fortè Leones,
Tunc oblita sui domitrix vis illa ferarum,
Terga fugæ mandat, syluis tectura pudorem,
Demittitque iubas, & caudam subijcit aluo.
Scilicet in Gallos solis audacia Gallis
Insita, Pergameæ renouat spectacula scenæ.
Namque vbi magnanimos campo irritauit aperto
Bilis amara duces, agnataque misit in arma,
Vnguibus & rostris, repetito & verbere pennæ,
Pendentem exercent pugnam: Rapit impetus ambos:
Fit sonitus crebro assultu: Volat acta per auras
Pluma, niuis ritu, statque atro puluere cælum.
Cyaneas olim sic præteruectus Iason,
Peliaca è puppi, vidit concurrere cautes.
Quin adeò ignescunt stimulis discordibus iræ,

Viribus exhauſtis, vt ſæpè occumbat vterque,
Sternaturque pari per mutua vulnera leto.
Et quiſquam humanâ miretur clade parari
Imperium, Procereſque animas impendere ſceptris,
Cùm tanti exigua ſurgant de corte tumultus?
Nulla quies pugnæ, rabido mora nulla furori.
Nunc capitis rubros apices, nunc tempora figunt:
Lumina nunc fodiunt, nigro ſtillantia tabo.
Gallinæ intereà tacita formidine muſſant,
Quem fortuna ſibi regem velit eſſe, virumque.
Alter vt inferior ceſſit, tenebraſque petiuit,
Multa gemens, ſolio regni quòd pulſus auiti;
Laude tumens alter, primos ſublimis in vngues
Erigitur, victorque ſuum canit ipſe triumphum.

PICTA ſinus, auroque leues interlita pennas,
Fingebat vario gutture carmen auis;
Et dulci clamore diem, roſeamq; vocabat
Auroram inuito coniugis è gremio:
Quam nunc extremo tumuli donauit amore,
Et ſparſit violâ, ſparſit Achon lachrymâ.
Forſan adhuc humili cantus meditaris ab vrnâ.
Sed reprimit cantus inuida terra tuos.

CAPER, capellâ cœlitum beatior
Quem tam venuſta, tam puella candida,
Stipante maximo capellarum grege,
Agit per alta montium cacumina,
Cùm Sol recludit ſplendido cœlum die,
Albentque læta rore cano gramina.
At cùm furentis excitatus ictibus
Solis ſiticuloſus igneſcit calor,
Nec aura pulchris arborum inſtrepit comis,
Te ducit illa fontis ad lympham ſacri,
Qui proſilit virente murmurans ſpecu;
Domus choreis Naiadum gratiſſima
Et ſemicapri dulce lenimen Dei,
Cùm feſſus à labore montiuago redit.
Hinc te reductis vallium cubilibus
Siſtens, tenello laſſulum ſinu fouet,
Cingitque charum floreis ſertis caput,
Suadetque blandos ſenſim inire ſomnulos;
Nunc mollicellâ barbulam mulcens manu,
Nunc dulciora melle fundens carmina
Canente garrulo alitum ſimul choro.

Exin cadente Sole cùm nox extulit
Micantibus ſtellis coronatum caput,
Et prata grillis perſonant argutulis;
Te bella Hyella cum tuis vxoribus
Domum reducit mollia ad præſepia,
Vobiſque ſalſas frondium dapes parat.
Cui vita capro contigit iucundior?
Quem capripes Pan, aut potens pecorum Pales
Benigniore vidit vnquam lumine;
Caper capellâ cælitum beatior?

INFELIX Arethusa meos cur despicis ignes?
Cur quoties operum immunis per prata iuuentus
Aut pedibus ducit choreas, aut carmina cantat,
Me velut immitem vitas auersa leænam?
Tu si me patiare tuum pulcerrima dici,
Nec potior quisquam vario tibi lucida flore
Serta legat, iungatque manus & brachia nectat,
O tibi quàm dulces fundet mea fistula cantus!
Te Clani virides ripæ, te læta sonabunt
Flumina, te longo resonabunt murmure valles.
Quodque adeò multæ dudum cupiere puellæ,
Per pagum digito monstrabere vatis amica
Damœtæ, & longos tua fama vigebit in annos.
Quod si etiam te dona mouent, ac forsitan illa
Plusquàm næniolas, & inania carmina curas,
Sunt mihi sex niueo lucentes corpore cygni,
Quos ego piscoso Lemouicis ab amne Vigennæ
Attuleram nuper, longæuæ munera matri;
Grata quidem & pigræ solatia blanda senectæ,
Tu tamen illa feres. Quid enim mihi gratia matris,

Si tibi despicior, si me aspernaris amantem?
Sum tamen & formâ, & florentibus integer annis:
Nec mihi contendat nostris in montibus vllus,
Seu sit opus luctâ, celeri seu vincere cursu,
Seu fluuium ingentem validis tranare lacertis,
Aut iaculo, aut quâuis agilem certare palæstrâ.
Nuper & ipsa aderas, veteris cùm in funere Mopsi
Ferales de more ageret vicinia ludos,
Meque ferox digitis & voce lacesseret Ægon,
Torua tuens Ægon, reliquos qui robore agrestes
Vincit, & ardentes vocat in certamina tauros.
Illum ego iactantemque manus, & multa minantem
Arripui, & media prostraui lætus arena.
Hei mihi quod nullâ vel vi superare, vel arte
Sum potis insano conceptum in corde furorem?
Ille coquit me luce, coquit me nocte, nec vllus
Aut modus, aut tanto requies venit vlla dolori.
Vtque leuem attonso stipulam cùm exurimus aruo
Lucentes latè crepitans furit ignis in agros,
Sic furit heu! cæcasque vorat mihi flamma medullas.
Me rigui fontes, me roscida prata dolentem
Aspiciunt, nec opem intereà mihi ferre dolenti
Aut rigui fontes, aut prata humentia possunt.
Ipse pater, mœstis quem sæpè incendo querelis
Ferre negat Clanus tantæ fastidia flammæ,
Et nisi sit numen, iam fundo arescat ab imo.

O qui me gelidi longinquo littore Ponti
Sistat, vbi æterna glacie concreta rigere
Stagna ferunt, crudoque gelu durescere circùm
Terram omnem, & canas nunquam cessare pruinas!
Fors fuat assiduis algens Aquilonibus aër,
Leniat vt tantos & frigore temperet æstus.
Nam memini senior nobis cùm diceret Alcon
Tales hinc procul esse plagas: quò tendere quando
Fata negant, nec tanta meæ fiducia sorti est,
Ite citi nostræ quos tangit cura salutis,
Ite, mihi medicas istis in montibus herbas
Quærite, si tandem sacris depellere succis
Infandum sit fas malè sano è pectore morbum.
Quid loquor ah demens? Nil hîc medicamina pro-
Nil magici ritus, aut vani verba susurri. (sunt,
Ipse licet medicæ Deus artis Delius adsit,
Ipse suam vinci fateatur Delius artem.
Sola potest Arethusa meos finire dolores.
Lympha sitim pellit, rapidum leuat aura calorem,
Vina fugant curas, Amor ipse medetur amori.
Talia dicentem numeris, & plura parantem
Dicere, fortè alto vicini è vertice saltus
Venantûm auditus clamor, strepitusque latrantûm
Compressit medio turbatum carmine vatem.

HVC ades, ô Thelayra, quid ah, quid grandia farra
Æstiuo sub sole teris, medioque sub æstu,
Nec parcis tibi sæua? Ah te ne immitis adurat
Syrius; ah teneras ne rumpat pustula palmas.
Demens, ô Thelayra, patri concede laborem,
Cui Cereris cura est; melior te cura Diones
Sollicitet. Tu dum feruet tritura sub æstu,
Dum crepitat seges, & multo sonat area pulsu,
Clàm te operi furare, & aquas effinge ferendas.
Hic nitidus fons est, hic plurima populus vmbram
Sufficit, & gelidæ summittit frigora ripæ.
Vos Auræ: Alpinis placidæ de montibus Auræ,
Hæc illi portate, aut si pater obstat eunti,
Saltem æstum lenite, grauem lenite laborem.

NAtalem Thelayra tuum lux crastina reddet,
Crastina lux mihi sancta. Tuos age Lucifer ortus
Profer, & Auroram propero dux euehe curru:
Euehe, sed sero tardus cede Hespere cœlo,
Longa vt eat, felixque dies. Lege Lychnida Leuce,
Et viridem violis intexito amaracon albis:
Serta duo mihi necte. Vnum quod postibus ipse
Appendam, Thelayra, tuis, mea maxima dona
Nota tibi: ast aliud, quod festâ luce laborum
Immunes decoret plena ad præsepia tauros.
Tu vulgo Venerique palam formosa videnda
Comptaque, sed clàm pulchra tuo, sed compta Myconi
Incedes, tantisque Deam venerabere votis,
Vt mea tu, tuus ipse vt sim: Dea maxima votis
Annuet. At tu omnem, Thelayra, abrumpe pudorem,
Tum, cùm expectatum difflabit tibia cantum,
Ardentesque sono in choreas accendet amantes.
Tum dextram læuamque, manus iungamus amicas,

Inuideantque omnes, neque enim te doctior vsquam
Vlla ſalit, non ipſa Iole, non nata Lycotæ.
Me verò quales in cœlum tollere ſaltus
Aſpicies, Thelayra, modò & te flectere in orbem,
Et modò te contrà ſtantem mirâ arte mouere
Antè retròque pedes, ſpatio nec cedere ab vno?
Ipſa Venus cœlo ridens ſpectabit ab alto.

O Formoſa Amarylli, tuo iam ſeptima bruma
Me procul aſpectu, iam ſeptima detinet æſtas:
Sed neque ſeptima bruma niualibus horrida nimbis,
Septima nec rapidis candens feruoribus æſtas
Extinxit vigiles noſtro ſub pectore curas.
Tu mihi mane nouo carmen, dum roſcida tondet
Arua pecus, medio tu carmen Solis in æſtu,
Et cùm iam longas præceps nox porrigit vmbras,
Nec mihi quæ tenebris condit nox omnia, vultus
Eſt potis occultare tuos, te nocte ſub atra
Alloquor, amplector, falſaque in imagine ſomni
Gaudia ſollicitam palpant euanida mentem.
At cùm ſomnus abit, curis cum luce renatis
Tecta miſer fugio, tanquam mihi tecta doloris
Semina ſubijciant, & ſolis mœſtus in agris,
Quâ vagus error agit feror, & deſerta querelis
Antra meis, ſyluaſque & conſcia ſaxa fatigo.
Sola meos planctus Echo miſerata gementi
Adgemit, & quoties ſuſpiria pectore duco,

Hæc quoque vicino toties suspirat ab antro.
Sæpè super celsæ prærupta cacumina rupis
In mare prospiciens, spumantia cærula demens
Alloquor, & surdis trado irrita vota procellis.
O mare! quæque maris vitreas, Nereïdes, vndas
Finditis, in vestros placidæ me admittite portus:
Aut hoc si nimium est, nec naufragus ire recuso,
Dummodò dilectas teneam vel naufragus oras.
O quoties dixi Zephyris properantibus illuc,
Felices pulchram visuri Amaryllida venti,
Sic neque Pyrene duris in cautibus alas
Atterat, & vestros non rumpant nubila cursus.
Dicite vesanos Amaryllidi Daphnidos ignes.
O quoties Euro leuibus cùm raderet alis
Æquora, dicebam, Felix Amaryllide visâ,
Dic mihi, num meminit nostri? num mutua sentit
Vulnera? num veteris viuunt vestigia flammæ?
Ille ferox contrà rauco cum murmure stridens,
Auolat irato similis, mihi frigore pectus
Congelat, exanimes torpor grauis alligat artus.
Nec me pastorum recreant solamina, nec me
Fistula, Nympharumque leues per prata choreæ,
Nec quæ capripedes modulantur carmina Panes:
Vna meos sic est prædata Amaryllis amores.
Et me tympana docta ciere canora Lycisca,
Et me blanda Melænis amauit, Iberides ambæ,

Ambæ florentes annis, opibusque superbæ:
Et mihi dotales centum cum matribus agnos
Ipsi promisere patres, mihi munera matres
Spondebant clàm multa, meum nec munera pectus,
Nec niuei mouere suis cum matribus agni,
Nec quas blanditias teneræ dixere puellæ.
Quantùm ver hyemem, vietum puer integer æui,
Ter viduam thalamis virgo matura parentem;
Quàm superat Durium Rodanus, quàm Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formosus Iberum,
Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes,
Tantùm omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.
Sæpè suos vultus speculata Melænis in vnda
Composuit, pinxitque oculos, finxitque capillum,
Et voluit, simul & meruit formosa videri.
Sæpè mihi dixit, Animi malè perdite Daphni,
Cur tibi longinquos libet insanire furores?
Et quod ames dare nostra potest tibi terra, racemos
Collige purpureos, & spes ne concipe lentas.
Sæpè choros festos me prætereunte Lycisca,
Cernere dissimulans, vultusque auersa, canebat,
Hæc pedibus terram, & manibus caua tympana pulsans
* * * * * * * * * * * * * * * *.
Hæc & plura Melænis, & hæc & plura Lycisca
Cantabunt surdas frustrà mihi semper ad aures.

Sed canis antè lupas, & taurus diliget vrſas,
Et vulpem lepores, & amabit dama leænas,
Quàm vel tympana docta ciere canora Lyciſca
Mutabit noſtros vel blanda Melænis amores.
Et prius æquoribus piſces, & montibus vmbræ,
Et volucres deerunt ſyluis, & murmura ventis,
Quàm mihi diſcedent formoſæ Amaryllidos ignes.
Illa mihi rudibus ſuccendit pectora flammis,
Finiet illa meos moriens morientis amores.

MANE vt erat, vili ſurgens de gramine paſtor,
Ibat, & impaſtas ſic agitabat oues:
Ignauum procede pecus, iam ſurgit in altum
Phœbus, & arentes lumine ſpargit agros.
Tu tamen huc illuc lentis mihi paſſibus erras;
Immemor ad flammas me properare meas.
Aut mecum gradere, aut nullo cuſtode relictum,
Protinus à rabidis dilaniare lupis.

NE timeas Troiane puer, quòd in ardua tantùm
Tolleris à terra; quòd rostro, atque vnguibus vncis
Te complexa ferox volucris per inania portat.
Audisti-ne vnquam sublimis nomen Olympi?
Audisti-ne Iouis tonitru, qui fulmina torquet,
Qui pluit in terras, cui templa arasque dicatis
Vos homines, taurosque tuâ mactatis in Idâ:
Quique etiam vestri est, si nescis, sanguinis auctor?
Ille ego sum. Non te hæc volucris, sed Iuppiter est, qui
Haud prædâ captus, chari sed amore nepotis
In summum amplexu innocuo te portat Olympum:
Astra vbi tot spectare soles, vbi pulcher obit Sol
Ortusque occasusque suos, vbi candida noctes
Currit Luna nitens, Auroram Lucifer anteit.
Hic ego te in numero superûm, domibusque Deorum,
Ver vbi perpetuum, felix vbi degitur ætas,
Æterna & semper viridis florensque iuuenta,
Consistam; æqualemque annis pubentibus Heben
Officioque dabo comitem, qui pocula nobis

Læta miniſtretis. Reliquum cœleſtibus vnà
Aſtragalis choreiſque diem exercere licebit.
Pone metum dilecte Ioui, melioraque longè
Proſpiciens, charam puer obliuiſcere Troiam:
Neve Deum te iam, & Diuorum regna petentem,
Vlla canum, aut Idæ nemoroſæ cura ſequatur.

CArpe fugam, Galatea, ferus petit æquora Cyclops,
Carpe fugam, pelagoque procul ſpeculatur ab alto,
Te quis amat, dignumque tuo ſe cenſet amore.
Humano primùm rorantem ſanguine barbam,
Et fœdum os, oculumque vnum, quem fronte patentem
Ipſe gerit mediâ, multo lauere æquore cernes;
Pectere dein raſtro crines, Apioque virenti
Aſſimiles, laudare, ſilens tum conſulere æquor,
Et ſe ſpectatis formoſum dicere ab vndis.
Te verò, Galatea, quòd hunc contemnis amantem;
Nec pecoris numerum, nec auenæ ſibila curas,
Crudelem, & piſtri natam Scyllave vocare,
Crudeleſque Deos: Si Dij tamen æthere ab alto
Vel mare ſunt aliqui; neque enim ſe poſſe putare
Vllos eſſe Deos: Demum tibi dira minari.
Nam fore, vt ictu vno magno cum fragmine montis
Teque tuumque Acim medium diſperdat in æquor.
At tu tuta mari magno, Cyclopis amores
Deſpiciens, ridenſque minas, & inania verba,
In noſtros Galatea ſinus formoſa recurre:
Ille inter pecudes, & amore vratur & Æthna.

COllibus in Lelegum, quà Caria celsa profundo
Imminet Ægeo, pulchros dum flumina propter
Pascit agens tauros, iuuenum pulcherrimus ipse
Endymion, teneris sensim bibit ossibus ignem.
Non illi Dryades, nec amantes prata Napææ
Perculsere animum, quanquam per prata Napææ
Sæpè agerent choreas, nudatæ crura, pedesque,
Brachiaque, & flauam per lactea colla refusæ
Cæsariem; quanquam Dryades sub fronde latentes
Sæpè recedentem sequerentur, sæpè sequentem
Profugerent visæ, & cuperent fugiendo videri.
Vnius in Lunæ vultu sic vultibus hærens
Spectat inexpleto fugientem lumine, spectat
Manè recedentem, & tacito sua gaudia voto
Nutrit, vota ausus nondum committere verbis.
Vt furor increuit, maiorque insania morbi
Expressit veras flagranti à pectore voces,
Sæpè super Latmi frondosa cacumina pernox
Spectabatque Deam, spectansque fouebat amorem,
Et gemitu, & vanis tundebat saxa querelis.

O nemora, ô fontes, & amictæ frondibus vmbræ,
Antraque sæuarum latebris horrenda ferarum,
Si qua latet radix aut graminis herba salubris,
Quæ leuet insanos, vel tollat pectoris æstus,
Ferte salutiferum vestro medicamen alumno.
Sed neque surda meis flectuntur saxa querelis,
Nec nemora & fontes: Nostro Dea sola dolori
Auxilium tu ferre potes, Dea cuius ab ore
Herba bibit sitiens rores, mare gestit, & æther
Ridet, & amissi solatur damna diei.
Sed quid ego hæc demens? Aut quo tam prospera rebus
Fata meis? decus ætheriæ Regina choreæ
Præferat vt Cœlo Terras, & Sole relicto,
Gaudeat vt pecoris duro placuisse magistro.
Quin morere infelix, neu credulitate dolorem
Falle tuum frustrà, neu spe te decipe vana:
Vna tuum mors est quæ soluere possit amorem.
Hæc iuuenis per saxa & inhospita culmina Latmi,
Et nemora, & solis solus deflebat in antris,
Dum sopor inuictos oculos & torpor in artus
Infusus, lassum in viridi prosterneret herba.
Sed nec amor Diuam, nec segnior ignis edaci
Carpebat cura, nitidi de culmine Cœli
Spectantem tenera teneri decus oris in herba,
Neglectamque comam per lactea colla, recentes
Colla niues, flauumque comam quæ vinceret aurum.

Et nisi, cernentem ne falleret omnia fratrem,
Et timor & pudor obstaret, dilapsa per auras
Isset in amplexus; Sed nec timor & pudor ægrum
Sic fregere animum, fratrem quin obiјce nubis
Falleret, oppositæque latens telluris in vmbra.
Et cùm vicina proiecta iaceret in herba,
Et leuiter roseo libaret ab ore modesta
Oscula, vota metusque & spes alternat, amorque,
Dum vult, dum non vult somnos turbare, cupitque
Deprendi, & metuit, nescit roget anne rogetur,
Certa rogare licet, mallet tamen ipsa rogari.
Sponte sopor lentos pueri patefecit ocellos.
Vt pudor ex illo victus concessit amori,
Non contenta Polo Terras præferre, per auras
Sustulit, inque sua iuueni super æthera biga
Sublato, non nota homini penetralia Regni
Ipsa sui spectare dedit, monuitque propinquis
Proderet vt Populis, fingentes vana Sophistas
Argueret, quique astra putant Titania glebas
*Ignitas, lapidesve, scaphasve * * * * **

IN sua regna vocant Dryades, Lucumque virentem,
Inuideant nemora Elysij cui frondea campi:
Hesperidumque arbor flauente superba metallo:
Parnassusque biceps, & Pindo proxima Tempe.
Non tam grata Ioui sylua Epirotica; nec se
Plus alio iactat proles Latonia luco.
Collibus vmbrosæ Idaliæ, Cyproque relicta,
Fœcundas inter corylos, hîc frigus opacum
Captat Amor, vacuamque premit ceruice pharetram,
Consumptis iuuenum malè-sana in pectora telis.
Tedæ absunt, sæuosque puer non intulit ignes,
Corripiant ne fortè sacras incendia quercus.
Cùm paribus spatiis Neptuno distat vtroque,
Et medio Cœli consistit vertice Titan,
Pan, Satyrique leues, Faunique, proterua iuuentus,
Siluanusque pater, lunatâ numina fronte,
Hîc æstum curasque leuant: Hæc hospita Diuis
Silua viret. Procul hinc duræ, procul este secures,
Damnosique greges, lignatoresque profani.

Huc

Huc primùm Æolio vix tandem carcere liber
Aduolat, & vernâ spirat mollissimus aurâ,
Dilectæ lustrans Zephyrus vestigia Floræ.
Ipsa sibi indulgens nusquam maioribus vmbris
Luxuriat, panditque sinus Natura fluentes:
Arboreosque nouat radice aut semine fœtus,
Matribus vt soboles longum succrescat in æuum.
* * * * * * * * * * * *

Arcadio dilecta Deo lætissima crescit
Pinus, & Idaliæ metuentes frigora Myrti:
Arduaque assurgit metæ aßimilata Cupressus:
Iratique Iouis temnentes fulmina Lauri:
* * * * * * * * * * * *

Non Vlula, infelix cantu, felixque volatu
Nyctimene: Pluuios non improba prouocat Austros
Vix animam positura nouem per sæcula Cornix,
Venturosque etiam prædicens Gracculus imbres.
Multa sed Actæas iterat Philomela querelas,
Eliciens miras tantillo è gutture voces,
Sithonium dum mœsta nefas, raptumque pudorem
Deflet, & incestæ condemnat Terea flammæ.
Dat gemitus dulces viduatus compare Turtur,
Aëriæque simul Veneris tutela, Palumbes.
Incola dumorum parua argutatur Achantis,
Et matutino gaudens Acredula sole. (men
Quid vos commemorem, volucres, quibus Africa no-

Indidit, & plumis cessit Iunonius ales?
Hoc captæ Luco nostrum venistis in orbem,
Præbentique cibum dextræ assueuistis herili:
Nec vos pœnituit sedes legisse quietas.
Exulat hinc ferus Accipiter, Miluique rapaces:
Prædonesque Lupos nullo nemus occulit antro.
Siue latent lustris, seu noto errore vagantur,
Pax habet alta feras.

BAttus amor Dryadum defunctum pastor Iolam
Flebat: Eum fontes, Alpinaque numina circùm
Saxaque, pumiceoque sedens Benacus ab antro
Mœrentem lachrymis consolabantur obortis;
Ille autem nulla accipiens solamina, tantùm
Desertâ sub rupe, in littoribus Benaci,
Talia nequicquam surdas iactabat ad vndas.
Immites Diui, & crudeles vos quoque Parcæ,
Crudeles nimiùm Parcæ. Vos ibitis Amnes,
Aëreæ stabunt Rupes: Nusquam amplius ipse
His terris, nunquam hoc cœlo agnoscetur Iolas.
Vt cecidit? Semel in pratis vt purpureus flos,
Quem tetigit vel hyems, vel iniquo Sirius astro.
Currite iam Fluuiorum vndæ, & producite vitam,
Et Rupes durate: Tamen non alter Iolas
Hoc pecus in montes, non hæc ad flumina ducet.

FRigidus at ſiluis Aquilo ſi increuerit, aut ſi
Hyberni pluuiis dependent nubibus imbres,
Nos habeat domus, & multo lar luceat igne.
* * * * * * * * * * *
Hîc focus, & circùm pueri, vernæque canentes,
Dum cœna vndanti coquitur ſyluestris aheno,
Grandiaque exurunt crepitantes robora flammæ.
Suſpenſæ è ſummis pendent laquearibus vuæ,
Malaque, caſtaneæque, & paſſo fiſtula ventre.
Hyberna dè nocte, boum ſtabula alta petuntur.
Vnà omnes matreſque, virique, omniſque iuuentus
Inſomnem exercent noctem: Pars penſa fatigat,
Pars texit teneros Amerino vimine quallos:
Atque anus hic aliqua intereà, dum vellera carpit,
Et teretem tremulo propellit pollice fuſum,
Languentes oculos fabellâ fallit inani.

MANE domi validos pluuia vt conclusit Agrestes,
Cæditur iliceo distenta sagimine porca.
Læta domus: Tum sollicita in farcimine mater
Pingue suis niueum, & dissecti frusta cerebri,
Et niueum lac purpureo cum sanguine miscet.
Tum semen Marathri, atq; arentis gramina Thymbræ
Adijcit, & coli insperso sale concaua complet.

TV gelidam ſtratus formoſi fontis ad vndam,
Quà leuiter cultis immurmurat aura viretis,
Obſcuras rerum cauſas, Cœlique meatus;
Quid deceat, quæ ſint fugienda, ſequenda-ve, tractas.
Tu magni eloquium Tullî, numeroſque ſecutus,
Condis perpetuis manſura volumina chartis.
Nec tamen irriguos hortos ornare colendo,
Nec citrium ſerere, aut buxum tondere comantem
Negligis, aut ſedes apibus aptare quietas,
Dulcia diuini decerpens gaudia Ruris.
Exemplum mihi, Damon, eris; quantumque benigni
Dî dederint vitæ, contentus paupere tecto,
Viuam ego dilectis, Aularum oblitus, in agris;
Securus quò Sceptra cadant, cui dira minentur
Aſtra, & ſanguinei iubar exitiale Cometæ.

INTONSI Colles & denſæ in collibus Vmbræ,
Et qui vos placida Fons rigat ortus aqua,
Viuite felices, nec vobis aut grauis æſtus,
Aut noceat ſæuo frigore triſtis hiems;
Nec Lympham quadrupes, nec Siluam dura bipennis,
Nec violet teneras hîc lupus acer oues:
Et Nymphæ lætis celebrent loca ſancta choreis,
Et Pan Arcadiæ præferat illa ſuæ.

Libri Adoptiui
FINIS.

IOANNIS
LVDOVICI
GVEZII BALZACII
EPISTOLÆ SELECTÆ.

IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII EPISTOLÆ SELECTÆ.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI SAMBLANCATO S. P. D.

ET nihil in vita ciuili honestius esse culpâ benignitatis à Romanis meis didici, & veritatem à Poëta velut à iurato teste non exigendam rigidè nimis, ipsi me Poëtæ docuerunt. Atque vtinam, præstantißime

Samblancate, vtinam ille essem, quem in animo habuisti, cùm tam pulchra, tam magnifica, tam incredibilia de me scriberes. Fingis certè mirabiliter: Sed totum illud vestrum fingere, quid nisi fucus, quantumuis innoxius, & officiosa fraus, & impostura animis facta, cum aliquâ placendi arte atque aliquo lenocinio voluptatis? Optare, somniare, homini licet, aliquando etiam vigilanti: Verùm haud homini datum est mutare repentè in melius homines, & Naturæ rerum vim facere; Nec ideò sum perfectus Orator, summus quoque, si Dijs placet, Philosophus, quia tu ingeniosus & magni spiritus Poëta es. Quæ igitur de laudibus meis à tuâ humanitate plurima ac præclara profecta sunt, ad ea non necesse habeo respondere accuratiùs: Sunt enim eiusmodi, quæ si velim agnoscere, pudoris oblitus planè existimer; si autem præfractè negem, arguere quodammodo videar studiosißimum mei virum, & pugnare cum eo, cuius tam egregia in me extet voluntas. Id quod res est, sententiam tuam interpretabor, & quâ possum ratione, opem feram periclitanti veritati. Scilicet, vt estis vos munificentissimi mortalium, genus dicendi meum, ipsum per se ieiunum atque rude, amplißimis verbis lectißimisque coloribus illustrare voluisti; & quæ illi desunt, addere ornamenta de tuo. Cui voluntati in ami-

cum profusissimæ, vt me plurimùm debere confiteor, ita te pro eâ quam tibi vicissim debeo beneuolentiâ & obseruantiâ, monitum velim, vt id posthac, vel in carmine facias parcè magis ac moderatè. Reprime, si potes, qui te quandoque abripiunt, spiritus illos poëticos; ne vi sacri furoris & nimiâ amoris abundantiâ prouectus, ea mihi liberaliter affingas, quæ tenuitati meæ parùm conuenientia, non tam me ornent laudibus, quàm detrahant de iudicij tui opinione, apud peritos rerum nostrarum æstimatores. Vale Eruditissime Samblancate, & multis mihi nominibus colendissime.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS ABBATI METELLO S. P. D.

QVI te cumque dolor angat, is mihi tecum, amicissime Metelle, non potest non esse communis; & qui bona tua ad me pertinere semper credidi, libenter etiam venio in malorum tuorum societatem. Non hoc sinant boni Superi, vt periclitante Metello, vel saltem in ægritudine versante, securus viuat Balzacius, & otiosus spectator alienæ calamitatis, intempestiuæ sapientiæ laudem quærat. Atenim meâ quidem sententiâ, faciendum omninò, vt hîc nobis non desimus, atque adeò petendum auxilium ab Amicis illis verè omnium horarum, Latinis Græcisque, qui turbidis huiusmodi amicorum temporibus adesse & solent & debent: Tum explorandum diligenter & seriò, ecquid ipsi nos vel remedij vel

præsidij repositum in nobis habeamus. Ac tametsi dissimulandum non est, quin grauis cuiusdam infelicitatis fuerit rerum Dominis displicuisse, tamen in innocentiæ tuæ cogitatione acquiescere te debere censeo, dum te intereà purget dies, atq; Eminentissimus Patronus pro singulari suâ facilitate ἀβλάβειαν illam tuam agnoscat. Ego verò te, ô mihi carissime, non hortor solùm, sed pro amore nostro rogo atque oro, quamprimùm te colligas, virumque iam præbeas, si hactenus hominem passus es. Illud autem Apollinis responso certius tibi habe, conscientiam rectæ voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum, nec esse vllum magnum malum præter crimen, à quo cùm te abesse maximè velim, & Eminentissimi Patroni beneficio lenissimè etiam cecideris, quidni verba & animum æmulari liceat honestissimum Exulum sæculi superioris, qui, vt illi olim veri & germani Remi nepotes, calamitatibus suis insultauerunt? Horum alter, is fuit Patricius Venetus, ita fortiter relegationem tulit, vt facetè quoque iocaretur, diceretq; Musas illam sibi à Patriâ impetrauisse, quod ægrè ferrent hominem suis sacris initiatum, ambitione ciuilium honorum distineri, & impediri occupationibus illitteratis. Alter, Princeps longè illustrissimus, è gente, si benè memini, Mirandulanâ, commentando & scri-

bendo dolorem leuauit amiſſæ dignitatis, & in Philoſophiâ quaſi tabernaculo vitæ ſuæ collocato, oſtendit plus à Virtute ſibi datum eſſe quàm fuiſſet à Fortunâ ablatum. Hos vidit & mirata eſt parentum ætas, ne tibi antiqua nimis commemorem, illumque imprimis ſuo meoque iudicio beatum, qui exul ab octauâ bibebat, & Diis iratis fruebatur. Tibi vt non omninò amicis, certè non adeò iniquis vti licet, per quos & otium contigit cum dignitate, & ea vnus habes, quæ decem Philoſophis ſatis eſſent, etiam non Cynicæ familiæ Philoſophis, nec Menippeæ frugalitatis. Si à te bidui tantùm abeſſem, repudiatis pugillaribus, aduolarem ad te continuò, vel ſi febricula quâ tentor identidem, hexaphoro imponenda eſſet; quò illud confirmarem tibi coràm, te à me cultum ſemper fuiſſe, non fortunam tuam, eodemque me poſthac ſtudio in amicitiâ perſtiturum. Vale.

IOANNES

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS EQVITI MEREO S. P. D.

CRedàmne te bonâ fide mecum agere de Epiſtolis noſtris Gallicis, & seriò illa miratum eſſe quæ nuper me legente audiſti? Mihi tamen vix tolerabilia videbantur, etiam nondum refrigerato calore ſcriptionis, & eo tempore quo ſolent moroſiora ingenia primis ſuis cogitationibus fauere. Agnoſco vitium ætatis ingraueſcentis: Iſtud nempè ſenile eſt, rebus ſuis parùm affici, & obtuſiore vti ſenſu, in percipiendis cùm corporis, tùm animi voluptatibus. In hoc certè Epiſtolarum negotio contra nos plerumque ipſi nos ſtamus, & iniquioris, ſi quis ſit, iudicis ſententiæ ſubſcribimus non inuiti; quibus, ne quid diſsimulem, toties laudare, commendare, rogare, gratias agere, nauſeam iam & faſtidium parit. Idem ſem-

per & aliter semper dicere cui Proteo, aut Vertumno vmquam datum est? In sterili, vtplurimùm, ieiunâque materiâ, tritâ & vexatâ ab Orbe condito Epistolis innumerorum mortalium, quî potest efflorescere multùm oratio, atque etiamnùm retinere gratiam nouitatis? Vt vt sit, mi fortissime & humanissime Eques, placere me auribus tuis, & mea à te non improbari votorum summa meorum esset, tantùmque, si nescis, acuto tuo iudicio tribuo, quantùm ipsi Thusco Equiti Flaccum tuum tribuisse credibile est. Vide igitur accuratiùs, lege ac censè quas tibi fratrique suauissimo è scripto recitaui Epistolas, vtroque plus satis plaudente recitanti; addere liceat (ita amori indulgebatis vestro) vtroque sanctißimè asseuerante, popularis linguæ Arcana omnia penès me vnum esse, Gallicasque omnes Veneres habitare in agris Balzacianis. Ampliùs de totâ hac controuersiâ deliberandum est. Neque prohibeo, quò minùs, si post deliberationem in sententia permanes, his probata solitis ornes laudibus, nobisque in familiari hoc scribendi genere causam iterum adiudices, reclamantibus licèt Bemborum & Manutiorum filiis, ferentibusque ægrè Barbariem nostram Celticam Latinæ suæ Elegantiæ præferri.

At neque Barbaries nobis, neque Celtica semper

Rusticitas, cultoque æternùm arcemur ab Orbe.
Cœli etiam Romani auidus festinat Amyntas
Hinc fugere, & Patriæ oblitus petit Itala regna.
Sic, Meree, iubes, timidoque audere dedisti,
Aëriæque Alpes & nubifer Apenninus
Te nobis auctore patent: Saxa aspera retrò,
Et tumidi cessere amnes: Nec iam vllus eunti
Opponit sese Eridanus: Iam tangimus Arces
Æneadum, & mediâ licet exclamare Suburrâ,
Nempè bibat Tiberim Gallus, Populumque Qui-
Augeat, & ciuis dominâ sit Martis in vrbe. (rini
Sed reprimit voces vltrix quia Diua superbas,
Ciuis ego tantùm, & Latij pars infima vulgi,
Infrà Equites longè sedeam: sacra Curia Patrum
Vix votis adeunda meis. Scribam ergo Latinè,
Plebeius Scriba & vilis, Romanaque promam
Antiqui de fæce Remi, &c.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS

EQVITI MEREO

S. P. D.

Si non desinis esse curiosus,
Et nostras nimis æstimare Musas,

ACcusabis me breui nimiæ diligentiæ & molestæ liberalitatis: Obruam te mole chartarum, mi Meree, nec vnius generis nugæ onerabunt, qui ad vos singulis hebdomadis proficiscitur, tabellarium Pictauiensem. En tibi iam cum fasciculo Epistolarum Gallicarum ἐρωτικοὶ *quoque versus, promissi in nemore Balzaciano, atque in tui gratiam auctiores & castigatiores facti. Illi sunt versus, quos sub Galatei persona, de Diana Santonide lusimus; rogatu nobilissimi & generosissimi iuuenis, cuius quàm infelices tam pudici amores fuere. A te, vt ab aliis, nomen*

ſuum ignorari vult amator infortunatus. Ne me iuſſeris fidem quam dedi, & ſecreti religionem violare, nec inuideas miſero tenebras ſuas, & vt ſibi perſuadet, etiam in publico ſolitudinem, modò ſic perſonatus foras exeat. Si qui verò ſunt tam ambitiosè auſteri, imò tam ineptè mœſti ac triſtes, quibus leuis & ludicra iſta Poëſis, damnanda omninò & ſine exceptione videatur, eis per me neque ridere vmquam, neque aliquando otiari, aut dies feſtos agere liceat, ſitque illis omnis vitæ iucunditas & ſuauitas, ipſis ſe cenſoribus, interdicta. Nos & homines ſumus, & dum religionis, honeſtatis, verecundiæ ratio habeatur, nihil humani à nobis alienum arbitramur. Stante & florente Republica Romanos ſcimus, horridos quantumuis atque hirſutos, & pilâ luſiſſe, & vacaſſe aleæ calculiſque, & ad ſimilia diuerticula animum tranſtuliſſe, bellicis operibus aut forenſibus miniſteriis fatigatum. Vt enim in rebus ſeriis Imperatores & Conſules, ita in iocis & luſibus Homines agebant, quos Natura continui laboris patientes eſſe non ſinit. Ad altiorem ſapientiæ gradum aſpirent noui iſti Sophi, atque etiam ſe perueniſſe glorientur. Plus Gente togatâ & Romanis noſtris ſapere nobis haud licet, oblectationeſque innocentiſſimas tantis exemplis, tantis auctoribus tuemur. Intereſſe aliquid inter praui moris licen-

tiam & concessam legibus hilaritatem, Patribus Conscriptis olim visum est. Et nos hodie, nobilissimos iuuenes, Pacis Belliqve artibus clarissimos, si aliquando cum Amore honesto nec inhonestâ Voluptate quid habeant commercij, non ideò credimus, vel tuâ causâ, Mi Meree, nuntium Virtuti remisisse. Vale & me ama amantissimum tui.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS GABRIELI GANDILLALDO APVD ENGOLISMENSES PRÆSIDI S. P. D.

VERSVS accipe quos Totila exſcripſit, poſtulatos à Thibalderio feſtiuiſsimâ Epiſtolâ, celebratos ab Equite Mereo, ampliſsimis & magnificentiſſimis verbis. Non has ego agnoſco laudes, mediocritatis meæ mihi probè conſcius. Tu tamen, quæ tua eſt humanitas, boni conſules ſeniles iſtas delicias, & ignoſces Oratori (ita me vocant vrbani quidam homines) in gratiã ſaltem Philoſophi illius, qui inclinatâ iam ætate Poëticam attigit, ne moreretur tantæ expers ſuauitatis. Orationes verò tuas, quarum partem recitaſti nuper mihi, quæque vt ſunt ſummâ arte perpolitæ, plurimiſque ingenij & doctrinæ diſtinctæ luminibus, ſingulari me voluptate perfuderunt,

nunquam-ne eâdem manu regiâ exſcriptas videbimus? Auidiſsimè eas expecto, rogatque te ipſe Rex Arctoæ metuendus oræ, *quamprimùm eius operâ vtaris. Sed illam præcipuè Orationem legere velim, quam habuiſti de verâ & germanâ Eloquentiâ, & cuius venuſtate atque leporibus, cùm te recitantem audiebam, potuiſti animaduertere magnoperè me delectari. Sententiam meam de totâ hac controuerſiâ iterum requiris. In eà prorſus opinione ſum quâ tu, diſertiſsime Gabriel, nec vnquam Gallos noſtros probaui, qui cùm Gallicè diſſerunt, nimis Græciſſant aut Latiniſſant, Plautino verbo & Plautinâ libertate vti nobis per te liceat. Imprudentiſsimi mortales, dum oſtentare volunt inductæ ac inſititiæ linguæ cognitionem, ſuæ ac patriæ imperitiam produnt, & perpetui laudatores cuiuſcumq; Antiquitatis, etiam Gothicæ, Vandalicæ & Longobardicæ, toto cœlo à bonâ & incorruptâ, à verè Græcâ & Romanâ Antiquitate diſſentiunt. Quis enim quæſo te, ſic ſcripſit eorum qui cum aliquâ laude in quocumque ſcribendi genere ſeſe olim exercuerunt. Non ſanè Syren Attica Xenophon; neque in inſtitutione Cyri vllo loco Perſicâ linguâ inducit Cyrum loquentem, quotieſcumque de rebus Perſicis agit: Et Xenophon tamen linguam Perſicam optimè callebat. Plato quidem aliquando*

quando dictus est alter Moses, sed Moses duntaxat Atticè loquens; neque cùm res Matheseos explicat, vspiam vsurpat verba Ægyptiorum, à quibus nihilominùs & numeros & metiendi rationem acceperat. Auctoritate quoque Marci Tullij iudicium confirmo tuum, qui cum Pomponio Attico agens, Græcæ linguæ peritissimo, & Epicharmi quandam sententiam recitaturus, Dicam, inquit, si potero, Latinè, scis enim me Græcè loqui in Latinis non plus solere, quàm in Græcis Latinè. Ampliùs addo, non modò externæ & alienæ linguæ, verùm etiam alienæ doctrinæ in oratione ostentationem, vt putidam & puerilem Romani damnant. Atque ille ipse, quem nostri toties testem proferunt, Lucius Annæus Seneca, Iudex de Teste factus, hac de causâ in laudatores suos ita seuerè pronuntiat.

Turpe est seni aut prospicienti senectutem, ex Commentario sapere. Hoc Zeno dixit, tu quid? Hoc Cleanthes, tu quid? Quousque sub alio moueris? Aliquid & de tuo profer. Omnes itaque istos numquam auctores, semper interpretes, sub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generosi, numquam ausos aliquando facere quod diù didicerant. Aliud est meminisse, aliud scire. Meminisse est rem commissam memoriæ custodire. At contrà scire, est sua facere quæque, nec ab exem-

plari pendere, & toties ad Magiſtrum reſpicere. Hoc dicit Zeno, hoc Cleanthes. Aliquid intereſt inter te & librum. Quouſque diſces, iam & præcipe. Quid eſt quare audiam quod legere poſſum, &c.

Eant nunc forenſes veſtri Oratores, qui inuito & reluctante Senecâ, Senecam quotidie appellant. Inſiſtant Poſteri errantium Maiorum veſtigiis: Et quia magnis auctoribus culpam tueri poſſunt, ſequantur fortiter & indefeſſè illuſtriſſimum quondam Fori principem, qui nobis adoleſcentibus à Petro Valente & Theodoro Marcilio, in exemplum perfectæ Eloquentiæ proponebatur. Illum certè nos ipſi audiuimus, in medio Orationis curſu compellantem his verbis Procuratores, quos vocatis, & Pragmaticos; Docebit vos, ô Procuratores, officium veſtrum Homerus Iliados K. & Euſtathius, Scholiaſtes Homeri in illos verſus * * * * *quos memoriter ad decem aut duodecim recitabat, nulla numerorum & accentuum habitâ ratione, vt ſcìres qui loqueretur, verè principem, & legibus ſolutum eſſe. Vetus hic fori Pariſienſis morbus eſt, quo Faij, Pibracij, Briſſonij, docti profectò & egregij viri, miſerum in modum laborauêre. Reliquerunt & exempli contagem atque imitatores ſuos; ſuperſuntque adhuc non pauci, qui eodem in foro & in*

ſacris ſuggeſtibus Vrbis Dominæ, ad audientium nauſeam Græcè & Latinè perpetuò obſtrepunt. Perinde atque ſi popularis noſtra lingua parum ſit efficax ad enuntiandas animi cogitationes, aut propriis careat ornamentis, quærunt ſine fine Tranſmarina aut Tranſalpina ſubſidia, & cùm tertio quoque verbo Græcam aut Latinam vocem infarciant, tùm luculentâ quadam gemmâ ſibi videntur orationem illuſtraſſe. Ingratum ſtudium, mi Gabriel, & curioſam hominum malè litteratorum infelicitatem! Ego verò aut Gallus, aut Græcus, aut Romanus ſim: Gallogræciam iſtam, & Braccatos iſtos Quirites ferre non poſſum. Atque equidem neſcio an eiuſmodi Doctoribus præferre debeam ingenioſum quendam virum, in contrarium peccantem, cui ſumma hactenus religio fuit Græcas Latinaſque litteras attingere, ne vt dicere ſolitus eſt, natiuum patriæ linguæ decus corrumpat aliquâ peregrinitate.

O tuus, ô noſtri ſoboles veriſſima Brenni,
Præfero te Æneadum ſeruis, Celtaſq; Pelaſgos
Incertumque odi genus, Auctoreſq; bilingues.

*Trilingues, & quadrilingues dicere poteram. Scis enim quo genere dicendi vteretur Ludouicus *** & quàm exoticis deliciis gauderet, doctrinâque aliundè apportatâ, vir aliàs priſci moris retinens,*

& ciuis patriæ amantißimus. Apud te sunt variæ quas reliquit, Orationes. Vide vt etiam de cloacâ aut de stillicidio verba facturus,

Doctor ab Auroræ Populis & littore rubro,
Ægyptum viresque Orientis & vltima secum
Bactra vehat.

Raró ibi reperias Prudentum Responsa, Paulos, Labeones, Scæuolas. At paßim occurrunt Rabbi Maimon in Hal. Beth Habecchira, cap. 4. & in Hal. Cele Hammikdasch cap. 10. & Rabbi, Abraham Ben Dauid, & Rabbi Zacuth in libro Iuchasin, & Talmud in Massechta Ioma, &c. Plura volebam & haberem, verùm hæc ipsa video fuisse longiora, & Rimbaldus noster qui meas expectat, in procinctu est. Vale.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
LEONARDO ALEMAIO
SOCIETATIS IESV THEOLOGO
S. P. D.

Vitiosum hoc, quis neget, & spurium dicendi genus. Monstra hæc & Portenta sunt, fateor: At non nuper nata, Leonarde disertissime, in Republicâ litterariâ. Ab ipsis Philosophiæ atque Eloquentiæ incunabulis adulteri & corruptores extitere. Nihil dicam de mediâ Græcorum Antiquitate. Missos facio Plutarchum & Athenæum, aliosque inferioris æui siue Oratores, siue Sophistas, qui degenerante & seruâ iam Græciâ, istiusmodi emblemata intemperanter amauere. Ad altiorem Vetustatem te voco. Heroïca sæcula primosque Sapientes intuere, atque in his Chrysippum ipsum, cuius supercilio vt Cœlum Atlante, Porticus niti videbatur,

& de quo vulgò iactatum est

Εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά.

Is auctore Laërtio integram Euripidis Medeam libro cuidam suo inseruerat, tantaque testimoniorum mole laborabant scripta quæ edidit omnia, vt non infacetè dictum sit, si quis tolleret de Chrysippi voluminibus quæ aliena essent, vacuam Chrysippo chartam relictum iri. Quot autem putas volumina publicasse exscriptorem Philosophum? Supra quinque & septuaginta numerabantur: Et ego sic scribentis non longè plura fuisse miror, modò manus illi & codicilli non defuerint. Eandem aut non absimilem insaniuit insaniam

Menippos ille nobilis quondam canes.

Vbique peregrina propriis, aliena suis intexuerat. Potissimùm autem ex Homero, Sophocle, Euripide cæterisque Poëtis Tragicis, verba & orationem mutuabatur. Atque hunc Menippi characterem, si eruditissimo Casaubono fides habenda est, repræsentauit Lucianus initio Dialogi illius inter Mortuales, qui Νεκυομαντία *inscribitur. Ibi enim Menippus inducitur ab ingeniosissimo scriptore, animi sensa non aliter quàm versibus Tragicorum aut interdum Homeri exprimens. Nec dubitabunt acuti lectores id propterea factum à Luciano, vt stylum Menippi repræsentaret simul ac traduceret. Siqui-*

dem hæc alienorum verſuum vſurpatio, cum caret modo, & non ad probationem rei alicuius afferuntur, ſed ad mentem animi exprimendam, non tam iocoſa eſt quàm ridicula; cùm turpe ſit centonibus loqui, nec ſine Curione quæ velis poſſe dicere. Enimuerò vt in operibus ſuis ſapientiſſima Natura omnia ἀλλόκοτα *& mixta ex diuerſis generibus auerſatur atque abominatur, ſic ſecundùm Naturam ſermo, & ſimplex & ſincerus, & ſui ſimilis, & maximè vnus eſſe debet: A quâ Naturæ lege in totum recedere numquam ſibi permittit Sapiens. Ridentibus aut irridentibus potius conuenit hæc laſciuia. Quare etiam Græci* παρῳδεῖν *pro irridere & conuiciari poſuerunt: Et* παρῳδὸς *ſæpè &* παρῳδία *pro irriſore & irriſu ſumitur, vt videre eſt apud Diogenem in Bione, & Iulianum Imperatorem in Saturnalibus. Vir tamen grauiſſimus, Marcus Terentius Varro, doctiſſimus ille togatorum, ille Cæſaris, Ciceronis, Pomponij Attici familiaris, ab imitatione Menippi vel acciuit ſibi, vel ab aliis delatum tulit Menippæi cognomen, Satyraſque ſuas Menippæas indigetauit. Ludebat nimirum Varro, cùm Menippum imitaretur, & in eo ſe oblectabat ſcribendi genere, cui propoſitum homines & res humanas irridere. Mirificum verò prorſus & notabile varietate multiplici, opus illud Varronis*

fuit, in quo prosam miscens cum carmine, seria cum iocis, Græca cum Latinis (id enim & Fragmenta arguunt) nouæ scriptionis exemplum Latinis suis primus dedit. Non nostrum est de tanto Heroë iudicare; sed patienter & æquo animo libertino patre natum *tulisse parem licentiam tibi-ne videtur, sagacissime Leonarde? Credisne togatorum doctissimo pepercisse* homuncionem lepidissimum, *per quem non Plautis ipsis & Luciliis, non Pisonum, Claudiorum, imò & Iuliorum proauis licuit ineptire? Credibile est* libertino patre natum *haud multum probasse scriptiones istas hibridas, è soluta oratione & numeris adstricta conflatas, partim Latinas, partim Græcas; cùm in Satyris non solum Poëtas, de quibus ex professo agebat, sed Oratores quoque & causarum patronos, de quibus hîc agitur, hoc præcipuè nomine exagitet.*

At magnum fecit quod verbis Græca Latinis
Miscuit, ô seri studiorum, quiue putetis
Difficile & mirum Rhodio quod Pitholeonti
Contigit. At sermo linguâ concinnus vtrâque
Suauior, vt Chio nota si commista falerni est.
Quum versus facias te ipsum percontor, an & quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,
Scilicet oblitus patriæque patrisque Latini,

Quum

Quum versus facias te ipsum percontor, an & quum
Dura tibi peragenda rei sit causa Petilli,
Scilicet oblitus patriæque patrisque Latini,
Quum Pedius causas exudet Poplicola, atque
Coruinus, patriis intermiscere petita
Verba foris malis, Canusini more bilinguis.

Paucis versibus iugulatam vides Oratorum vestrorum causam. Et quis erit iam qui monitus ab Horatio, obiurgatus ab illâ Virgiliorum & Variorum Academiâ, quorum sententias & decreta referebat Horatius, detrectare audeat tantæ Censuræ auctoritatem; nolit subscribere maximo & antiquissimo Critico; Seruinis malit quàm Coruinis similis esse? Illi, si qui sunt, Oratores tam infeliciter laboriosi, nisi supersedeant ingratâ hac operâ confundendi simul Græca, Latina & Barbara, abibunt apud nos in prouerbium, vt, cùm plura iura confundit coquus, &c. *Nec inposterum boni Oratores, sed mali Caupones audient. Imo verò, vt gratificemur hominibus non malis, & quos decipit recti species, dicamus Lucilianâ linguâ, quæ tantoperè eis placet,* Sarcinatores esse summos, suere Centones optumè. Vale.

Dicet tibi Gerardus noster, quid de Suis Grotius sentiat: At quàm æquo vtantur Grotio etiam alie-

Nn

ni, videre poteris ex his quæ ſubiungo verbis Epiſtolæ, non ita pridem ab eo ſcriptæ, ad optimum & humaniſſimum virum Ioannem Cordeſium.

Et mihi Aurelius interdum ſufflaminis egere videtur. Nam quorſum tantus Suarezij contemptus; hominis, ſi quid rectè iudico, in Philoſophiâ, cui hoc tempore connexa eſt Scholaſtica Theologia, tantæ ſubtilitatis, vt vix quenquam habeat parem? Quid attinet Moliniſtarum nomen Societati toties obijcere, cùm ſi quid Molinæ exciderit periculoſius, id poſterioribus Ieſuitarum, præcipuè Leſſij, ſcriptis ſit caſtigatum. Neque verò non nihil etiam ab illâ ſententiâ periculi eſt, quæ cum Concilio Valentino, laudante Aurelio, ſtatuit quorundam ſalutem Deum nolle, ſi illi quidem nudè vt homines ſpectentur.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS ÆGIDIO MENAGIO S. P. D.

ITA se res habet, Menagi, BalZacio tuo, ab Iro etiam & Thersite periculum est. Post tot infensissimos, non tamen inhonestos hostes, insurgit in me despectissimus fœdissimusque Mortalium, labes atque probrum suæ vrbis; quocum vel in ipsius perniciem committi, extremæ puto infelicitatis. Labores & ærumnas nostras occasionem suam ratus, impetiuit nos perpetuo conuiciorum libello, acerbo an inepto magis in dubio est. Si liberet abuti ingenio, & bonas horas non benè collocare, quæ non mihi & pro me & contrà illum dicenda essent? Sexcentis Satyris locus esset, & surgeret paucissimos post dies immensa moles Philippicarum, modo Philippum haberemus. Verùm deest nobis cui irascamur cum dignitate. Contemptu & silentio res agenda est,

aduerſus huiuſmodi Nebulonum ſtolidam audaciam & inconditos ſtrepitus, quibus nomen & famam dare, leuiſſimo etiam reſponſo, haud vmquam potuit magnanimitas BalZaciana. Illis igitur ne verbum quidem. Tu verò hanc, non nouam tibi, nec à me, ſed à iocoſæ Sapientiæ Magiſtro, Fabulam accipe, quam cum illuſtriſſimo Gondio, ſi tanti eſt, communicabis. Sic ille Fabulator Philoſophus, à multis iam ſæculis, Tiberianis videlicet temporibus, figurato, vt ſolet, loquendi genere, iſtam mihi iniuriam vaticinatus eſt.

Defectus annis & deſertus viribus
Leo cùm iaceret ſpiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicauit ictu veterem iniuriam.
Infeſtis Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus. Aſinus vt vidit ferum
Impunè lædi, calcibus frontem exterit.
At ille expirans: Fortes indignè tuli
Mihi inſultare: Te Naturæ dedecus,
Quod ferre cogor, certè bis videor mori.

At, ô bone, ne Illuſtriſſimus Antiſtes hunc hominem ſuperbiæ inſimulet, quod ſeſe cum ſyluarum Rege compoſuerit, atque tam nobili imagine in honorem proprium ſit abuſus, rogatum eum velim, meminerit Leonem de quo agitur, & ſenem &

ægrum, & omnium iniuriis, etiam Asinorum obnoxium fuisse, nec esse cur tam infelix Regnum vel rudens rugienti inuideat. Quod verò de Magnanimitate nostrâ superiùs aliquid dixerim (vide quo studio eiusdem Illustrißimi æquas mihi aures habere cupiam) sciat per te, locutum me linguâ Poëtarum, qui Phaëtonta quoque dixere aliquando Magnanimum. Apud hos siquidem atque his finitimos Oratores patere latiùs significationem verborum, nec tam angustè nomina habitare quàm apud parcos illos restrictosque interpretes Aristotelicæ subtilitatis, ipse haud neget Aristoteles. Vale, suauißime & eruditißime Menagi, & quâ præstas eruditione ac facundiâ, quoque incepisti felici successu, litterarum atque humanitatis causam, contrà Barbaros tueri porrò perge.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS BARTHOLOMEO RHODIO S. P. D.

CVM indignum, aut certè parùm meritum amplissimis ornes laudibus, eas ego ne meas credam facit conscientia tenuitatis meæ. Agnosco tamen in alienis bonis propensam in nos nostraque animi tui voluntatem, nec iniucunda recordatio subit animum commendati ab Antiquitate artificis, qui honestiore omni emendatione culpâ, non similes, sed meliores semper fingebat. Huic tu quoque culpæ affinis es, disertissime, sed idem amicissime Rhodi, nam & plus æquo faues materiæ tuæ, & libenter pateris tibi ab amore imponi. Præclarè mecum ageretur si ita de me Posteritas aut iudicaret aut erraret; eumdemque calculum ferrent, qui non eodem morbo animi laborabunt. Sed quid ego futurorum homi-

num suffragia & alterius sæculi famam somnio? Quid me etiam ludit præsentis gloriæ amabilis insania? Vtor interim infirmißimâ valetudine, & vt probitas illa Poëtæ nescio cuius, laudor simul & algeo. *Frustrà scilicet inimicam vim hiemis luculento foco fortiter expugnamus,*

Obstat frigidior circùm præcordia sanguis,

Nec æquè tuti esse possumus ab inclementiâ & pestilenti afflatu deterioris iam ætatis. Plura dicere magno animo meditantem hîc me subitò Latinitas defecit, & Romanæ Musæ, non benè, vt credibile est, aduocatæ, homini Gallo aspirare desierunt. Vale, Rhodi optime & doctißime, modò per immitem Brumam liceat, & per phreneticos illos Septentrionum filios, qui Terrarum huic angulo infestissimum bellum indixere.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI IACOBO DRVSIO S. P. D.

LIBELLVM ſubtiliſsimi ſcriptoris, quæ mea eſt timiditas, Ioannes Iacobe, nondum legere auſus ſum. Funambulos illos in negotio religionis, reformidant oculi mei, diſputationeſque temerarias de Arcanis Dei, de Prouidentiæ Decretis, de his quæ vix ſciunt ſeiunctæ à mortali concretione mentes, neque probo ego, neque probaret ille qui olim dixit eſſe periculoſum de Diuinis vera etiam dicere. *Parcat ergò ſibi quiſquis eſt, ſcriptor ſubtiliſsimus, ſed tamen homo, nec æternis minorem conſiliis animum fatiget. Nos verò vulgus Chriſtianorum, ſecundùm ſapientiſsimi Pauli ſententiam, ad ſobrietatem ſapiamus: Et auctore familiari noſtro Cornelio, viro, vt nouit Orbis, minimè ſtulto, retineamus ex ſapientiâ modum: Et iuxtà illud è Tripode effatum,* Quæ ſuprà nos nihil ad nos, *miſsis his omnibus*

*bus otioſorum plerùmque hominum negotiis, in tuto beati ſilentij portu conquieſcamus, *****. Nil eſſe temerè ſtatuendum, tecum fateor, Ioannes Iacobe, neque inclementiùs atque hoſtili animo agere debet Reſpublica in ciues adhuc ſuos. Sit inter res non iudicatas doctrina Belgæ Antiſtitis: Fuerit ipſe Antiſtes, optimus & honeſtiſsimus vir, ſacerdos emendatiſsimæ vitæ, acri iudicio & mirâ ſagacitate Theologus. Concedantur hæc omnia illuſtriſſimis amicis noſtris, quos vnicè diligo & colo. Sed vellem ſagaciſsimus Antiſtes non adeò indulſiſſet ſagacitati ſuæ. Vellem in perquirendâ Auguſtini ſententiâ, ſi, vt aiunt, facit pro eo Auguſtinus, minùs acutis oculis vſus fuiſſet.*

Quicquid id eſt, Mentes præſenti pace quietas,
Et Linguas armaſſe omnes, Gentemq; togatam
In partes traxiſſe fuit. Totum-ne per orbem
Emiſſis Erebo Diris & Marte furente,
Inſanire etiam volumus ſacra Natio Chriſti,
Atq; aliis Bellis poſtremum hoc addere Bellum?

Benè vale, mi Druſi, &, cùm primùm per bonam valetudinem licuerit, teipſum, non litteras tuas expectamus.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS

petro. ~~IACOBO~~ COSTARDO

S. P. D.

PICTONIS Poëtæ Carmen, quod postremis meis oblitus eram, elegantissimum mihi visum est; Et gratulor egregio Exuli, qui tam lepida, tam venusta de se & de relegatione suâ legerit. Sapit prorsus modestia hominis & pudica dictio auream primorum Cæsarum ætatem, & natiuum genium Latinæ Poëseos, cùm nondùm in eam infusa esset peregrinitas, nec adhuc in Vrbe cum voluptate audiretur inconditus strepitus Transalpinarum Nationum. Quænam tamen illa est, præstantißime Costarde, Naugeriorum & Victoriorum iniquitas? quis ille morbus Populi, vt sibi videtur, Romani, ad nostra quæque, etiam optima nauseantis? Hoc quoque morbo laborauit Bilbilitanus tuus, qui oblitus Hispaniæ patriæ, & vetus iam Romulidarum

hoſpes, Municipales Poëtas, & Municipalia ingenia, adeò malè vbique habet. Iſte, quamuis natus in Prouinciâ Galliâ, meo quidem iudicio, Auentino & Quirinali digna ſcribit, nec in eius ſcriptis Vincens Victurus vel minimum deprehenderet veſtigium Poëteuinitatis. *Mone hominem, tibi mihique cariſſimum, ne ſe ita Themidi mancipet, vt Muſas (quod minatur & abominor) res ſuas ſibi habere iubeat, & erga tam amicas Deas parùm gratus fuiſſe videatur. De Doctore Palatino aliàs. Sed plurimam quæſo à me ſalutem Comico illi Imperatori, quocum ſoletis vos fortunati Pictones ſermones habere ſuauiſſimos, cuique de ingenij noſtri pulchritudine, conciliator longè optimus mira adeò narraſti.*

———————At quàm metuo
Ne prædicatio tua nunc meam formam exuperet,
Ne oculi eius ſententiam mutent, vbi me viderint,
Atque eius Elegantia meam extemplo ſpeciem ſpernat.

Vale, Coſtarde doctiſſime, & nos vt facis, ama.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS ILLVSTRISSIMO SEGVERIO, FRANCIÆ CANCELLARIO, S. P. D.

INTER tot & tantos, in quibus versaris aßiduè, pro Regni salute labores, in illâ sacrâ, quæ te dies ac noctes districtum tenet, publicæ rei procuratione, quis esse poßit aut debeat litteris meis locus, equidem ipse non video. Eas tamen, Illustrißime Virorum, à nostro Bibliopolâ officiosißimo conuicio nuper efflagitasti: Imò visus es denunciare mihi simile nescio quid huic amabili querelæ, quâ homuncionem lepidißimum, vota sua, vt ego hactenùs, religioso silentio concipientem, ad scribendum prouocauit maximus olim Princeps. Irasci me tibi scito, *verba sunt Octauij ad Flaccum,* quòd non in plerisque scriptis mecum potissimùm loquaris: An vereris ne apud posteros infame tibi sit, quod videaris fa-

miliaris nobis esse? *Fiet, Illustrissime Segueri, fiet inposterum quod imperabis, & animum habebo quem dedisti. Agam tecum, quando ita vis, Romanâ libertate, de rebus veterum Romanorum, illamque Antiquitatem, quæ ad mores præcipuè & ciuilem doctrinam pertinet, te disceptatore excutiam. Quæram causas corruptæ Reipublicæ; & an Marcus Cato verè sapiens, atque, vt ait aliquis, Diis quàm hominibus propior; an Caius Cæsar exitiosus ciuis & Patriæ parricida dici debeat: In cuius quidem negotio licebit, si iubeas, Imperiorum mutationes contemplari; ortus eorum & interitus præfinitos; annos quos* κλιμακτηρικοὺς *vocant, excidio Rerumpublicarum destinatos; fatales denique temporum terminos, quos Plato numeris suis peruestigabat. Commodius certè multò est, & malim ego innocentes huiusmodi præteritarum ætatum quæstiones persequi, quàm præsentibus curiosiùs immorando, opus tractare periculosæ aleæ plenum, & per ignes cineri doloso suppositos, cum inuidiâ atque odio plurimorum, incedere. Te tamen, ô dulce decus meum, te inquam, & Seguerianum nomen, haud alienum erit antiquæ virtuti & Romanis exemplis inserere. Habebitis locum inter ingentes animas, quæ bona sæcula illustrauere. Appellabo te sæpiùs, non sine aliquâ aurium tuarum voluptate,*

multâ certè cum ſignificatione grati animi. Verùm alius ſit animus atque alia mens BalZacio, & fingere liceat quod fieri nequaquam licet; Viuam ego ſi poſsim, immemor beneficiorum, quibus me totum deuinxiſti; Tuam iſtam gloriam parùm æquus bonorum noſtrorum æſtimator, ægris oculis intuear; ipſe tibi occurres vbique mutato nomine, apud Auctores quos proferam: In Scæuolæ, Catuli, Sulpicij, Tullij laudibus tuas leges. Viue ac Vale, Illuſtriſſime Virorum.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI CAPELANO S. P. D.

MAGALOTTVM ex vulneribus obiisse molestè equidem fero. Sum enim & Romani nominis, etiam cum aliquâ religione studiosus, & maiorem in modum fauebam huic æternæ vrbis ciui, qui ad famam, ad gloriam, ad summa quæque, agnosce verba tua, magnis passibus properabat. Sed de magnanimo Romuli nepote Bellorum nostrorum Historia. De Româ verò, hodiernâ inquam Româ, imbelli & decrepitæ senectutis, aliquid dicendum videtur in hoc otio Prouinciali. Atque si placet, communicabo ego tecum, sapientissime Capelane, quæ olim accepi, cùm in Italiâ agerem, ab ingeniosissimo, eodemque disertissimo viro.

Aiebat ille mihi, & vnà inclinato in vesperam die, ad ripam Tyberis spatiabamur; Romam quidem præsenti rerum statu, Christi virtute felicem, & diuturno silentio Bellorum, desuetam maiorum Triumphis, per multos iam annos composuisse se in eâ, quâ fruebamur, tranquillitate, quæ sopori ac somno simillima sit. Cæterùm quod in Dorienses à Polycrate iocosè olim dictum, idem in Romanos homines non absurdè conferri posse. Vt enim dicere solebat Polycrates, Dorios omnes nasci Musicos, nisi quid eorum obstrepat auribus, vt Naturæ vocem, ac se potissimùm ipsi exaudire non possint: Itidem affirmandum esse, Romanum propagatione generis bonum militiæ gigni, nisi suâpte sponte sic futurus, occupetur protinùs alienis artibus, & Naturam expellat disciplinâ. Vel quod is est (addebat ingeniosissimus vir) Latini Cœli tractus & plaga Mundi, ea Romæ positio atque sedes, cæteraque necessitudo naturalium causarum, vnde genitalis ducitur origo vitæ, vt ex iis vitalem spiritum haurientibus, indita simul semina præstantis animi, flammam laudis auidè corripiant, facillimèque excitentur ad æmulationem operum pulcherrimorum: Vel quod ab Vrbis incunabulis, satus atque ortus Gentis, ex parte Martius est paternus, ex parte durum à stirpe Lacædemoniorum ac Sabinorum,

maternum

maternum genus. Huc accedere temporum testem & nunciam vetustatis Historiam; Tùm Carmina nobilium Poëtarum, de Quirini populi Triumphis decantata vulgò; Tùm cætera litterarum immortalia monumenta, Maiorum inscripta rebus Pace & Bello, Terrâ & Mari gestis. Illud quoque pristinæ gloriæ bustum, illum aspectum vetustatis nondùm euanescentis, illam in disiectis malè sibi superstitis antiquæ famæ reliquiis velut sepulchralem imaginem, insignitam passim magnis nominibus ac trophæis, nonnullum credebat ad imitationem generis in bene natis ingeniis momentum habere: Nec esse parùm quicquid illud est, quod è parietinis illis, atque ex illo semisepulto Romæ cadauere generosum quiddam & quasi bellicum spirat. Quamuis enim iam, in alto puluere consederit latè olim resonans flamma Victoriarum, Victorum tamen memoriam, suorum Triumphorum funere contectam necdùm extinctam, si paululùm agitetur, intermicare subitò, & quodam quasi vapore recalescere cinerem gloriæ fugientis. Adeò vt quo se cumque vertat homo Romanus, inter tot sacra vrbis patriæ monumenta, præclara rerum memorabilium species obiecta oculis, obuersatur animo, quæ illum quotidie Camillorum, Fabriciorum, Scipionumque propemodùm vocibus appellet; quæ velut ardentibus tæ-

dis & dormientem excitet, nec patiatur vigilantem conſiſtere.

Hæc magnifica certè, quæque non parùm faciat ad togatæ Gentis gloriam, plenam animorum & ſpiritus penè tragici orationem nolui te neſcire, præſtantiſſime Capelane, qui Romanos animos & Romana ingenia principem locum, quem per tot annos tenuere, tueri adhuc poſſe, cùm dormire deſinunt, mecum ingenuè fateris. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS ÆGIDIO MENAGIO S. P. D.

Benè eſt, abundè eſt, plus ſat eſt etiam mihi.

QVÆ ſcripſi ego olim, municipalis ille & Orator Hiſtoricus, probata nuper ſunt Lutetiæ Pariſiorum. In ampliſſimo orbis Terrarum theatro Barbo meus Saltauit & Placuit. *Adijce, ſi libet, & hanc Inſcriptionem Gruteriano Theſauro, noſtraque, mi Menagi, more tuo in maius extolle, vt te digna ſint. An nos tamen & feros & ferreos ſemper putabis, quia Agreſtes ſumus,*

Virgiliuſque tuus duros quia dixit Agreſtes?

Bona verba, Amice præſtantiſſime. Gaudeo, nec mediocriter gaudeo Heinſium Romæ degere, non immemorem Balzacij, honeſtiſque ſuis voluptatibus ſubtraxiſſe aliquid, quo apud me vel ipsâ ſal-

tem cogitatione diuerteret. Gauderem multò magis, ſi ex Italiâ rediens iter haberet per Tectoſages, è Santonico demùm littore in Batauiam patriam vela facturus. Quàm dulce amanti videre deſideratiſſimum caput, & iucundum os oculoſque ſuauiari. At hæc quidem Agreſtium vota ſunt. Noui illecebras Romani cœli, vereorque ne vrbaniſſimum hominem blanditiis ſuis captum teneat Vrbs diutiùs, imò totum vindicet ſibi, reclamantibus nequicquam Prouinciis. Habuit illa peregrinas virtutes ſummo ſemper in pretio, ingeniaque ab omni æuo fouit admodùm liberaliter, Longoliorum, Muretorum, Barclaiorum indulgentiſſima nutrix. Si pari erga Heinſium ſit animo, velitque Tranſalpinas Gentes tanto ornamento ſpoliare, hanc enimuerò iniuriam patiens ac tacitus haud prætercam: Quin vel ob id ſolùm, Menagi, atque hoc vno nomine ſodalis tuus, nouus repentè Poëta prodibit, vt Tiberinum patrem, Palatinumque ſimul & Auentinum, alienarum opum inuaſores, accuſet iniuſtæ vſurpationis. Quantùm potero voce contendam, & ne in morâ ſit periculum, in hos iamiam erumpo verſus, grauiſſimæ indignationis plenos.

O ſeptemgemini colles Nymphæque Latinæ,
Semper-ne Heinſiadē noſtros & habebitis ignes?
Reddite depoſitum quod pulchra Lutetia vobis

Credidit, & queſtus Terræ prohibete Batauæ,
Ingentem repetet multo quæ carmine Natum.
Sed ſi vim parat & dulces pia Roma catenas,
Hoſpiteque in tanto viuum ſpirare Muretum
Longoliumq; putat, quorum pendebat ab ore:
Si tali Æneadæ nimiùm gaudetis alumno,
Heinſiademque mihi noſtroſq; negatis amores,
Non impunè feretis, erit namque vltor Apollo,
Qui læſo mihi ſexcentos promittit Iambos,
Diuinaſque iras, ſociumque ad iurgia Numen.
Teſte Deo, inuidiæ ac furti vos arguet ætas
Ventura, & dominæ faciet conuitia Romæ.

Sed reprimo me, & ſatis eſt querelarum, ob factam nondùm iniuriam. Nec immeritò reſponderet nobis communis Gentium Patria, quam verſibus modeſtis parùm & metu nimis audaci violauimus, Quis tibi ſic timere permiſit? *Vale, mi dulciſsime Menagi,*

Cuius ſanctus amor tantùm mihi creſcit in horas, &c.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS DANIELI PRIESACO, SACRI CONSISTORII CONSILIARIO, S. P. D.

NON cessas de nobis optimè mereri, suscipisque, vt semper, aduersus imperitos obtrectatores nominis nostri patrocinium. Ego tamen, qui caninam hanc facundiam fortiter hactenùs & magnificè contempsi, non possum consilium tuum non improbare. Absit, Clarißime Priesace, vt tam ignauo sanguine te inquines, & celeberrimâ morte censeas dignum obscurißimum nebulonem. Scio equidem optimos quosque adesse vltrò periclitanti innocentiæ, atque arbitrari alienæ famæ defensionem ad officium suum pertinere. Sed nec fama, vt opinor, laborat nostra, nec innocentia periclitatur; præsertim impreßione

factâ ab hoste, suprà quàm credibile est, imbelli; quo cum non potes vir grauis vllâ ratione congredi, quin videaris loci & existimationis tuæ oblitus. Si non mihi, Antiquitati saltem crede, & consule Romanam sapientiam, ipse Romani iuris consultissimus. Præcipit illa non esse decertandum cum hominibus profligati pudoris, ne tantisper similis & compar eorum fias, dùm paria & consimilia dicas atque audias. Tibi semel ratum fixumque sit talibus conuicijs non moueri, nec facere voti sui compotes, lixas nullius nominis, qui claris inimicitiis ad famam grassantur, cupiuntque audaciam suam à Republicâ ex aliquâ nobili accusatione cognosci. Honesto nos, ne quid superbiùs dicam, bonæ conscientiæ testimonio sustentemus, & grauissimis illis verbis Quinti Metelli Numidici, in eum à quo in concione dictis petulantibus lacessitus fuerat. Quod ad illum attinet, Quirites, quoniam se ampliorem putat esse, si se mihi inimicum dictauerit, quem ego mihi neque amicum recipio neque inimicum, in eum ego non sum plura dicturus. Nam eum indignissimum arbitror, cui à viris bonis benè dicatur; tùm ne idoneum quidem, cui à probis malè dicatur. Si enim eo tempore huiuscemodi homunculum nomines, in quo punire non possis, maiore honore quàm contumeliâ afficias. *Meministi vt nuper*

leuissimum Mundi cymbalum, Scriptor ille natus in Bibliopolarum perniciem, litterarumq; omnium dedecus, non parùm facetus sibi visus sit, cùm dicta in nos iacularetur plena frigidissimæ vrbanitatis. Qui si acciperetur, vt meritus est, vapularet dijs hominibusque fauentibus, nec à nobis ideò putaremus quidquam diuini violari. Non esset cur se togæ dignitate tueretur, quam sordibus suis contaminauit; audiretque inuersum illud scomma, quo tardum & ridiculum animal Isidis mysterijs onustum prosecuti sunt olim non illepidi iuuenes, & querenti rebus sacris iniuriam fieri, continuò occinerem, Non Religioni, sed tibi. *Verùm malim in me amici iustum dolorem quàm solitam modestiam desiderent, semperque in animum induxi meum, non impium modò esse alienæ virtutis detractatione sibi laudis aliquid quærere, sed etiam illiberale in alienis vel iustè insectandis vitiis libenter occupari. Abyce & tu, me authore, istas omnes, de quibus sæpiùs egimus, delicati animi molestias, nec tàm tibi aliorum imperitia stomachum faciat, quàm tua te eruditio delectet. Vnus, quem tu & ego religiosissimè colimus, sit nobis, vt par est, instar omnium, opponamusque Sophistarum plebi & minorum gentium Criticis, summum togatæ militiæ Principem, eumdemque optimum omnis doctrinæ & elegantiæ disceptatorem.*

ptatorem. Caſtè modò & emendatè loquamur, quid nobis cum impuris ſcriptoribus, apud quos, vt de animi venenis taceam, aut putidam verborum barbariem, aut tranſlationes inuerecundas, aut imitationem ineptam obſoletæ vetuſtatis, aut poëticam in oratione ſolutâ licentiam vbique deprehendas? Sed quidam ſunt, & indignatur tecum diſertiſſimus Illuſtriſſimi noſtri Medicus, quibus placeat corruptum hoc dicendi genus, quique non niſi labes & maculas vtriuſque linguæ exoſculentur. Et ſunt quidam non minùs, qui ne noſtris quidem vitijs laborantes, peregrinitate quadam vultus aut etiam obſcœnitate delectantur, atque in fœdis Æthiopibus quærunt quandoque quod diligant. Neſcitis igitur copioſam ſemper meſſem fuiſſe & fore hominum variè in litteris inſanientium, nec æquo animo patimini ſæculum noſtrum, Auguſtæo non multùm meâ ſententiâ doctius, ſuos habere Mæuios & Anſeres, qui chartis intemperanter abutantur, libroſq; quotidie euomant inſipientiæ ſuæ teſtes. Iſte verò morbus eſt, Eruditiſſime Prieſace, cui curando non vnus Apollo ſufficeret: morbus inquam inſanabilis, quem ferre debet Illuſtriſſimi noſtri diſertiſſimus Medicus, cùm tollere non poſſit. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS REVERENDO PATRI, HERCVLI ODIFREDO, CONGREGATIONIS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ THEOLOGO.

S. P. D.

ECCE iterùm, mi Pater, in discrimen vocamur, & diem nobis dicunt litigiosi homines violatæ religionis. Quid ergò iniquißimis his temporibus me par est facere? Quid consilij ego capiam? qui cùm inueteratâ illâ ardeo inuidiâ, & sum nescio quo meo fato opportunus istiusmodi iniuriis, tùm verò meâptè naturâ contentionis fugiens, & ad subitas scolastici pulueris velitationes parùm exercitatus. Esto,

Pater eruditiſſime; habeant confitentem reum Accuſatores noſtri. Sint in opere politico inſperſa quædam minùs cautè è ſacris litteris & Religionibus deprompta. Ideóne perinde mihi controuerſiam mouebunt, ac ſi dogmata Philoſophiæ Chriſtianæ ex profeſſo à me pronuntientur, iuratuſque affirmem, de quibus non liquere ſatis ſuperque teſtatus ſum? Æquum-ne & liberale eſt, hoſtili animo ſuos aggredi; torquere innocentiſſima verba, minimas etiam ſyllabas excutere ad viuum, & de ſingulis apicibus, vt de ſummâ rerum, in conſilium ire? Licuere hæc quæ ſumus auſi, & audaciora multò Maioribus noſtris, plenaque ſunt ſanctiſſimorum virorum monumenta durioribus ſententiis, quæ niſi benignâ interpretatione molliantur, & errori affines erunt, & cenſoriâ animaduerſione digniores. Sed arbitrati ſunt mortales egregiè cordati, inter bonos benè agier oportere, & in alienæ mentis indagatione ſummum ius, eſſe plerumque ſummam iniuriam, nec quæ ab Oratore dicuntur, exquiſitam quandam ad rationem debere exigi à Philoſopho. Ego tantorum nominum fretus auctoritate & munitus exemplis, putaueram hactenus non omnibus æquè in rebus quærendam eſſe ſubtilitatem, nec preſſiùs agendum, quàm non ſolùm ipſarum rerum vis & natura patiatur, ſed quàm vſus communis fe-

rat, & recepta loquendi consuetudo. Nunc verò, vt se dant tempora, an hæc me de oratoriâ libertate opinio falsum habuerit, nescio, & negare non ausim. Scio, Pater, & fateor, longè me abesse à sanctiore illâ ratione intelligendi differendique, cuius possessio venerando Ordini attributa est, & quàm multâ caligine inuoluit Deus Immortalis, ne quid ex illius integritate profanorum oculi delibent. Quæ cùm ita sint, non tanto tumultu opus est, tamque atrocibus, quæ vndique excitantur, tragœdiis. Mei esset, vt sic dicam, officij, alienum negotium, artemque non meam ignorare; nec insolens videri cuiquam deberet, si temerè vagarer in Cimmeriâ regione, ignarus hominumque locorumque? Si inquam homo adolescens, cùm à cæteris disciplinis satis tenuiter instructus, tùm in sacris penitùs hospes, aliquando aberrarem à scopo, & in rerum arcanarum tractatione cæcutirem? Aut nullæ mihi, aut aliæ partes in Republicâ litterariâ sunt relictæ. Velint, iubeant Patres sapientissimi; Meum est obsequi & parere. Opinione labi possum, voluntate à grauissimo Theologorum Senatu dissidere non possum; cui semper dicto audientem, & in cuius potestate vbique me futurum fac quæso per te amici atque inimici intelligant. Non tam nostri amantes sumus, vt cùm meditamur, Deo pleni, & quæ mie-d

tati ſumus, è Tripode profari nobis videamur; nec tantâ laboramus inopiâ verborum, quin ſi neceſſe ſit, plures etiam ſententias libenti animo perdamus. Has quidem, quæ in dubium vocantur, poſſem forſitan feliciore ſucceſſu defendere, quàm eas Aduerſarij apud R. R. Sorbonæ Patres oppugnarunt. Verùm deferbuêre, ne quid diſſimulem, ambitioſi olim animi æſtus, ardentemque in nobis famæ cupiditatem ætas & dies mitigauit. Cedo itaque non inuitus totâ illâ gloriâ litterati certaminis. Piget, mi optime & doctiſsime Hercules, tam diù præbere ſpectaculum ocioſis, & in ore oculiſque hominum verſari; atque is iam ſum, qui pacatam & tutam ſeruitutem præferam ſollicitæ & periculoſæ libertati. Non moror litigatorum vulgus, veris & legitimis iudicibus, ſæpiùs dicere liceat, plurimùm defero; mihique perſuaſum inprimis habeo, non turpe eſſe ab ijs vinci quos vincere eſſet nefas, neque ijs inhoneſtè aliquem ſummitti, quos eruditio & pietas ſuper cæteros extulêre. Vale, ipſo Dominici Natalis peruigilio, in cuius honorem, hoc quicquid eſt inchoati Poëmatij, à ruſticâ Muſâ modò tentatum, primus accipe.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS FRANCISCO MAINARDO, S. P. D.

AMPLIVS bonas horas malè perdere, consilium non est, Mainarde. Quære qui posthàc legat futilissimas orationes, in quibus haud video quid admodùm insigne Aduersarij notent, præter infelix altercandi studium, & frigidam vbique subtilitatem maleuoli Declamatoris.

Nihil est Antipho,
Quin malè narrando possit deprauarier.
Tu id quod boni est excerpis, dicis quod mali est.

De hoc homine verbum neque faciam, neque, si mihi credis, vnquam feci; & cùm omnibus machinis atque vniuerso exercitu oppugnarer potentissimæ Factionis, non putaui de vno Sagittario me queri conuenire. Popularem tuum quod attinet, & politica Monita, quæ nobis liberaliter communicauit,

declino non ægrè ab illo ſcopo, quem ſcopulum arbitratus eſt, & concedo lubens in amiciſsimi mihi capitis ſententiam. Ipſi, ſcio, ſatis ſuperque adulantur ſibi Principes, & ni frænos imponeret ſuperbiſſimis mentibus ſacroſancta Religio, non vnum Saporem haberet Orbis, qui ſe Stellarum familiarem ac ſocium, & Lunæ Soliſque germanum appellaret. Sed nihil hæc ad noſtri verecundiam, comitem indiuiduam præſtantiſsimarum virtutum, neque vnquam fando auditum eſt modeſti Principis laudatores, Rempublicam vocaſſe vel in leuiſsimum diſcrimen. Non iam ego inficior, optime & diſertiſſime Mainarde, præſtabiliorem duxiſſe me viuentem ſpirantemque effigiem rebus fucatis atque adumbratis, & ab illorum veſtigiis libenter receſsiſſe, qui cùm nuſpiam reperiri crederent in rerum naturâ quæſitum à ſe Heroëm, mente & cogitatione informarunt, quem otioſis mortalibus fictâ oratione delinearent. Verùm de titulo & totius compoſitione operis, quæ tam benignam diſputandi materiem apud vos præbuit, hæc pro me Cenſori Gallico reſpondeat Romanus Conſul, atque idem elegantiſsimus ſæculi ſui ſcriptor. Præcipere qualis eſſe debeat Princeps, pulchrum ſcilicet, ſed oneroſum & penè ſuperbum eſſe: Laudare verò optimum Principem, ac per hoc poſteris velut è ſpeculâ lumen quod

ſequantur oſtendere, idem vtilitatis habere, arrogantiæ nihil. Præterea habendam eſſe rationem Reipublicæ in qua viuas, neque omnia deneganda auribus iuuentutis, lætius aliquid & floridius poſtulantibus; faſque aliquando, ſi materia non refragetur, frequentiores etiam deſcriptiones locorum non hiſtoricâ tantùm lege perſequi, ſed propè poëticâ libertate. Aridi, fateor, & vt ſibi volunt, Attici oratores fideliùs tuentur argumenta quæ in manibus habent. Nihil quippè eſt quod illos ſollicitet; nullum ſchema ſe offert, quod illis blandiatur; nullæ ſubrepunt ſententiarum illecebræ; Et vt ſæpiùs pudicæ ſunt, quæ malam faciem habent, quia illis corruptor deeſt, ſic iſti non peccant beneficio infirmitatis. Noſti, Mainarde, anguſti animi & infelicis laboris homines, qui nihil laudant niſi quod confidunt ſe poſſe imitari, quemque ſperandi, eundem benè dicendi ſibi proponunt finem. His macies pro ſanitate, & iudicij loco ignauia eſt. Humiles ſemper, & velut terram ſpectantes, non audent vnquam ſuprà quotidianum ſermonem aſſurgere, & cùm à nobilioribus ingeniis opprimuntur copiâ rerum atque verborum, ieiunitatem & famem ſuam frugalitatis nomine falsò commendant. Nos orationis vt vitæ, quandam agnoſcimus innocentiam, quam etſi ponimus in laude, non ideò abſolutam conſummatamque

matamque virtutem dicimus. Mos tamen quoad fieri potuit, gestus est tetricæ Grammaticorum nationi. Circumscripsimus quibusdam regionibus oratoriam libertatem: Et si quis ex illis siccis extiterit, qui putet nos alicubi sobriè parùm vsos viribus nostris, immoderatiùsque egisse quàm postulet artis seueritas, huius, si fas est dicere, tristitiam, reliquæ operis partes exorare debebunt. Adnisi nimirùm sumus, vt quamlibet diuersa genera Lectorum teneremus per plures dicendi species: Ac sicut veremur ne quibusdam pars aliqua, secundùm suam cuiusque naturam non placeat, ita videmur posse confidere, vt vniuersitatem omnibus ipsa commendet varietas. Qui verò, Mainarde, obijciunt, non magis Laudationem esse Principis nostri quod scripsimus, quàm aliorum Conuitium, hospites eos esse in omni Antiquitate necesse est, & ne de facie quidem nosse appellatum à me supra perfecti in suo genere operis Auctorem. Ille vt meministi, priores omnes Principes in ordinem redigit, excepto, inquit, vno aut altero, & etiam nimis se dixisse asseuerat. Addit nihil non parùm gratè sine comparatione laudari, primúmque hoc esse erga optimum Imperatorem piorum ciuium officium, insequi dissimiles; neque satis amare bonos, qui malos satis non oderint. Nullum denique locum,

nullum fore tempus, in mei, credo, gratiam vaticinatur, quo funestorum Principum Manes à posterorum execrationibus conquiescant. Eant nunc Accusatores parùm callidi, qui dùm student alienam inscitiam arguere, suam produnt, & per latus meum ipsam petunt Antiquitatem, cui se adhærere profitentur. Vale, & me quod facis dilige. De promissa Satyra aurem vello, & miror equidem silere tandiù, quod morosæ ac reconditæ naturæ est, vnicum omnium Venerum & festiuitatum parentem.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
IOANNI SILHONIO
S. P. D.

L*Atinissimum Gallum, elegantissimum e recentioribus Auctorem, à Thuano olim & Scaligero plurimis laudibus ornatum, nuper verò commendatum a te in eo libello, quem ad illustrissimum Memmium scripsisti, vnicè semper miratus sum, Silhoni, dignumque iudicaui qui vixisset heroïcis eloquentiæ Romanæ temporibus. Non desunt tamen qui ei obijciant, & accersiti candoris medicamenta, & numerorum vsum paulo intemperantiorem, & nescio quid canorum nimis, ac plus æquo seruiens aurium voluptati; sermonem denique ipsum ad Poëticas lasciuias & lenocinia subinde diuertentem. Quid enim sibi volunt illa, inquiunt,* Sed & hunc sacrati Ordinis aureum florem, ocellum nostræ Gal-

liæ, &c. *Mallent Catones noui horridas vires, ſine palæſtra & nitore, quàm huiuſcemodi munditias & exquiſitiorem ornatum. Ego verò non ſum ex triſtiſſimis Iudicibus, qui ad exactam regulam cuncta redigant, quique ipſius audeant Iſocratis in compoſitione diligentiam & curam reprehendere. Interdùm aliquid indulgendum cenſeo ingeniorum hilaritati. Quod affluens eſt, non continuò nimiùm eſt, & elegantiam eſſe ſcio luxui quàm parcimoniæ propiorem. Alter de quo ibidem agis, Hetruſcæ linguæ florentiſſimus ſcriptor, non modò ampliſſimi Ordinis ornamentum eſt, ſed iam omnis liberalioris doctrinæ & ingenij princeps. Huius, Silhoni, vt vita, ita oratio conſecuta mihi videtur difficillimam illam ſocietatem grauitatis cum humanitate. Culta eſt ſine anxietate, nitida ſine ſuſpicione quæſitarum deliciarum; neque alibi memini vidiſſe me beatiorem rerum pulcherrimarum & lectiſſimorum verborum copiam. Et quæ priùs ediderat, & nouiſſimè Decadem legi, quâ Bella memoriâ parentum in Belgio geſta complexus eſt. Corpus ſine controuerſiâ abſolutiſſimum, in quo nec ſanguinem, nec neruos, nec cutem, nec colorem deſideres. Ita ibi omnia apertè & ſplendidè narrantur, & regiones pugnæque admirabili repræſentatione deſcribuntur, & conciones hortationeſque prudenter & iucun-*

diſſimè interponuntur. Cùm enim plurimùm vtilitati, nonnihil tamen delectationi tribuit. Ducit quandoque lectorum animos, ſic ſentit clariſsimus Rigaltius, quibuſdam ſermonis blanditiis, ſed fatente eodem, eos non raro vi & pondere orationis trahit. Feſtino ad vltimam partem litterarum tuarum, quâ quæſtionem non equidem ingratam mihi, in medio poſuiſti. Sed deficiente hîc chartâ, altera epiſtola exaranda eſt. Vtramque reddet tibi qui ad vos proficiſcitur, Gerardus noſter. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI SILHONIO S. P. D.

DE vernaculis nostris versibus in eá sum opinione, Silhoni, quâ Eminentissimus Valeta. Bardos fuisse, & Gallicos Faunos, & insanos Vates, & quiduis potius quàm veros & legitimos Poëtas, qui apud nos Poëticen attigêre, iam tùm cùm in Italia floreret; adeò incomposito pede currebant eorum versus, & asperitatem plusquàm Gothicam redolebant. Venêre non ita multò post, qui rudem & inconditum sonum, quantùm patiebantur ea tempora, molliuêre. Homines varia & multiplici lectione, ingenio fecundo, & alacri indole præditi, sed qui non nouerant, ac ne suspicabantur quidem, quæ esset sincera illa rectè scribendi ratio, quique naturæ bonitatem & robustissimas vires promiscuâ Latinorum Græcorumque imitatione corrumperent. Ille,

quem parentum ætas vnicum patriæ linguæ Instauratorem nuncupauit, hoc morbo præcipuè laborabat. In eo sunt aliqua quæ laudes, sed plura longè ad quæ fastidias. Verborum infelicißimus nouator, negligens iuxtà atque audax, & torrentis instar, magnus aliquando, sed lutulentus semper fluit. Nefas putabat vir optimus, & securus de iudicio posterorum, super ambiguo verbo & suspectâ sententiâ vel minimùm deliberare. Ducentos versus antè cibum, & totidem cœnatus scripsisse amabat. Barbara & nostra, insolentia & in vsu posita, discrimine habebat nullo. Neque tamen ignoro Poëtam non venustißimum inuenire etiamnùm amatores, qui sciam Saliorum versus, vix sacerdotibus suis intellectos, adultâ Republicâ, nec ampliùs balbutiente Populo Romano, fuisse apud quosdam in deliciis. Fuit, Silhoni, Ennianus Populus sæculo Virgiliano, & post-habuêre quidam præsentes opes antiquæ paupertati. Sed desinant tandem imbuti superstitione animi sacros solâ vetustate lucos, & sepulta nomina adorare. Si is ipse, de quo agitur, fato aliquo in hoc nostrum æuum delatus foret, procul dubiò admonitus melioribus exemplis, sibi plurima detereret, & vt erat facili & tractabili ingenio, in suis non pauca antiquè nimis, durè pleraque, innumera ignauè dicta fateretur. Primus Fran-

ciſcus Malherba aut inprimis viam vidit quà iretur ad carmen, atque hanc inter erroris & inſcitiæ caliginem ad veram lucem reſpexit primus, ſuperbiſſimoque aurium iudicio ſatisfecit. Non tulit noſtros homines inuentis frugibus ampliùs βαλανηφαγεῖν. *Docuit quid eſſet purè & cum religione ſcribere. Docuit in vocibus & ſententiis delectum, eloquentiæ eſſe originem, atque adeò rerum verborumque collocationem aptam, ipſis rebus & verbis potiorem plerumque eſſe. Non negauerim in quibuſdam Philippi Portæi, conatum aliquem apparere & primas quaſi lineas Malherbianæ artis: Quamuis enim in iis color orationis antiquæ ſit, numerus tamen videtur nouæ, cultuſque inter noſtram ac priorem ætatem medius, vt illum poſſit ſibi vtraque vindicare. Verùm bona non multa, quæ ei, aliud fortè agenti, excidêre, obruuntur multitudine deteriorum, & iniuria arti fieret, ſi eam inter incerta poneremus. Noſter, ſemper ſibi conſtans, & ſui vbique ſimilis, non potuit quod fecit, id ratione non feciſſe. Perſpicaci maximè & caſtigato iudicio, plurima in ſe, in alios nimiùm penè multa inquirens, finxit & emendauit ciuium ſuorum ingenia, tam felici ſucceſſu, vt elegantiorum Auctorum turbam, quâ nunc Gallia celebratur, vna ipſius diſciplina Galliæ dederit. Haud alius igitur fuit, ſi modò non numeres verba,*

ſed

sed æstimes, cui plus debeant litteræ hæ nostræ populares: Cumque summi olim viri, in vno tantùm summi fuerint, Maronemque Geny felicitas in oratione solutâ reliquerit, & Tullium eloquentia sua destituerit, cùm agressus est carmen; hic & cultissimi Poëtæ famam peregregiè tulit, & in pedestri facundiâ cum laude quoque versatus est. Quod nobis quidem, infirmitatis nostræ conscijs perdifficile & mirum etiam videtur. Cùm enim diuturno studio magnisque lucubrationibus vtraq; ars egeat, vix ad vtramque in his vitæ mortalis angustiis, tempus atque otium suppetit. Et quoniam longâ exercitatione aßiduoque vsu consuescimus aut oratoriè dicere, quod vitio maximè datur versus scribentibus, aut Poëticè, quod contra in prosæ orationis scriptoribus vitiosum inprimis habendum est, si quis vtrumque studium copularit, magnæ cuiusdam intelligentiæ acrisque iudicij est præstare, alterum genus ne incurrat in alterum. Prætereà Poëtarum Oratorumque ingenia atque naturæ oportet contraria propemodùm inter se sint. Hi enim ratione atque humanitate reguntur; illos furoris afflatus & diuinitas quædam impellit. Atque omninò proximis coniunctisque in rebus facilior à recto declinatio & lapsus est, reprehensio verò vel insignior: Creat siquidem errorem similitudo, & cùm varia-

Ss

tum eſt, celeriter propter rei ſimilis comparationem ac propinquitatem inuerſio animaduerſa internoſcitur ab artificibus & damnatur. Ea eſt, Silhoni doctißime, ſententia familiaris mei, ſubtilißimi diſputatoris, de negotio, vt ſcis, inter nos ſæpiùs agitato; quæ ſi non verißima Linceo tuo iudicio videatur, meo certè minùs acutùm cermenti in amicorum ſententiis, videtur proximè accedere ad veritatem. Sed de Poëtis & de Oratoribus hactenus. Vale.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
PETRO THORELLO
SANCHARTRÆO,
IN MAGNO REGIS CONSILIO SENATORI.
S. P. D.

MEDIVM quoddam & ego agnoſco, Sanchartrae, inter delicias & ſordes, inter effeminatum & agreſte dicendi genus; nec quia pigmenta non amo, cœno me velim inquinari. Aliena, quæ cum tuis accepi, hominis ſunt, qui pollutas lue quâdam prouinciali etiam nunc aures habet, nec planè dùm è municipij ſui fæce enatauit. Tua verò, Dij boni, vt pudicè ornata ſunt; vt ſine ambitione grandia; vt copioſa in hâc patrij ſermonis egeſtate; vt ſenatoriam quandam vbique ſpirant orationis dignitatem. De Fabulâ, quam nouiſſimè dedit politiſſimus Cornelius, à me frequenter efflagitatâ, & à te pro-

mißâ sæpiùs appello fidem memoriæ tuæ. Quid enim tibi dißimulem affici me non mediocriter innoxiis istis voluptatibus, atque absentem quantumuis, fauere theatro Gallico, & amicis Poëtis plaudere. Hic equidem ad id scribendi genus mirabiliter mihi factus videtur, in eâque si se porrò palæstrâ exerceat, præcipuam inter Tragicos Poëtas nobilitatem adepturus. Sat nos tamen alta & atrocia, Heroës & Tyranni, admiratione defixos tenuêre. Descendendum aliquando est in mitiores & humaniores affectus, neque debent diutiùs nostri homines nobis inuidere Comœdiam, illam legem vitæ, & ciuilis consuetudinis magistram. Huius veræ & germanæ Comœdiæ Publius Terentius, libenter enim de familiari tuo, vt & Romanorum Procerum, tecum agam, perfectißimum exemplar mihi semper visus est. Non ambigit certè Guyetus, at quàm subacto iudicio & quantâ sagacitate vir, omnes in vno illo omnium Comicorum eminere virtutes, summâ singularique dignitate; atque si Natura ipsa, communis hominum & rerum parens, ea dicere versibus voluisset quæ ab ipso perscripta sunt, nec meliùs, nec omninò aliter fuisse loquuturam. Vides quemadmodum, ceu Clanus vester viridis & gemmeus, fluat leniter & purè, nihil secum turbidum, neque alienum deferens: Vt se accommodet ad omnia quæ

incidunt, aptè ſcitèque & narranda & reſpondenda; vt ſingularum perſonarum proprietate à ſe mirabilem in modum expreſſâ, rerumque ipſarum prudenti conſtitutione, eruditos animos oblectet; vt illud denique Poëtæ neſcio cuius ex interpretatione doctiſſimi Valeſij, mutato nomine in illum bellè conueniat?

O Menander & Vita,
Vter imitatus alterum fuit veſtrum?

In hoc Afro, Sanchartræ, mihi videtur habitare modeſtia & pudor, nilque fit ab eo in ſcenâ aut dicitur, quod non ſanctiſſimæ Sabinæ, ipſaque Numæ vxor, saluâ oculorum verecundiâ videre, & æquis auribus audire poſſint; adeò vt, non iniuriâ quis dixerit, Plautinis matronis honeſtiores plerùmque eſſe meretrices Terentianas. Quod illi ſcio, à nonnullis vitio etiam datum eſt. Sic enim cauet ab obſcœno ſpurcoque, vt interdùm quid quamque deceat perſonam, parùm attendere videatur, iiſque minùs ſatisfaciat, qui cùm incurrit aliquid in narrando turpiuſculum, gaudent plus ſatis ſermonis proprietate, & res non pulcherrimas nudis enunciare verbis, hoc demùm ſimplicitatem Romanam vocant. Ego noſtri vitium pluris longè facio quàm oppoſitam ei virtutem; atque ſi hoc nomine dimidiatus Menander dici meruit, vimque illam comi-

cam, quam in eo desiderauit Caius Cæsar, festiuitatem parùm modestam interpretantur; hic equidem plus toto dimidium, vt dicitur, & caremus non ægrè illâ vi, quam cùm posset nullo negotio assequi, prudenter eam & cum iudicio repudiauit. Ceterùm, Sanchartræ, vt elegit Terentius, non tàm quem imitaretur, quàm qui-cum de laude contenderet, eâdem omninò ratione sibi eum proponere debent amici nostri, aut ad quem accedant proximè, aut si improbum votum non est, contra quem etiam ipsâ, quæ suprà adijciat, imitatione licitentur. Etsi enim præclariùs existimant plerique inuenire nos, quàm ab aliis inuenta mutuari; earum tamen rerum ratio tùm est maximè laudabilis, si id perficimus, vt quæ mutuati sumus, ea splendidiora conspiciantur, deriuata nostrum in fundum, quàm erant in iis ipsis, è quibus hausta sunt fontibus; vt non minor in exornando laus, quàm in inueniendo fuisse prædicetur. Nam nequaquàm Attilium probamus, illum à Marco Tullio durum, à Porcio Licinio scriptorem ferreum & exscriptorem dictum, qui optimam Electram Sophoclis interpretatione malâ contaminauit. Sed vt Comicum omittamus inpræsentiâ, quid quæso Epico illo mirabilius, qui aliena è Theocrito, Hesiodo, Homero, & sua & meliora semper fecit? Ita quippè eius generis pluri-

ma refercerunt Maronianas omnes chartas, ut appareat non tàm illum non habuiſſe quod ex ſe promeret, quàm quod anteiret, ex induſtriâ quæſiiſſe; multòque plus in victoriâ gloriæ, quàm in inuentione poſuiſſe videatur. Sunt hæc Antiquorum certamina, in quibus non ſemel anteceßêre antiquiores, quos ſequebantur, nec deterruêre ideò poſteritatem, quò minùs in eodem campo virium periculum faceret. Itali profectò qui populari ſuâ linguâ ſcripsêre, ſpecioſam hanc imitandi rationem tentare aliquando ſunt auſi, Latinaſque fabulas, diſpoſitione aliquantulùm immutatâ & perſonis, non infeliciter expreſſerunt. Inter quos Scriba, quem noſti, Florentinus, in eo licet, teſte Iouio, nulla vel exigua admodum cognitio fuerit Latinarum litterarum, è Latinâ bonâ Hetruſcam fecit meo iudicio non malam. Clitia ſiquidem illius, eadem eſt quæ Plauti Caſina: ex quâ nonnulla interpres fidiſſimus penè ad verbum reddidit, quædam correxit cum arte, multa felicißimè imitatus eſt, aliqua verò aut imprudenter aut peruersè; velut illa Olympionis villici ad Stalinonem herum:

Inimica eſt tua vxor mihi, inimicus filius,
Inimici familiares. *Stal.* Quid id refert tua,
Vnus tibi hic dùm propitius ſit Iupiter,
Tu iſtos minutos caue Deos floccifeceris.

Olymp. Nugæ ſunt iſtæ magnæ, quaſi tu neſcias,
Repentè vt emoriantur humani Ioues.
Sed tandem ſi tu Iupiter ſis emortuus,
Cùm ad Deos minores redierit regnum tuum,
Quis mihi ſubueniet, tergo, aut capiti, aut cruribus?

Quæ ſic Thuſcus effinxit Scena ſexta Actus tertij, vbi Pyrrhus hunc cum Nicomacho ſermonem habet.

NIC. Ch'importa à te? Stà ben con Chriſto, & fatti beffe de' Santi.

PIR. Si, ma ſe voi moriſſi, e Santi mi tratterebbeno aſſai male.

NIC. Non dubitare, io ti farò tal parte, che i Santi ti potranno dar poca briga, &c.

Hæc, quod ad elegantiam, multò inferiora ſunt Plautinis; indigna verò homine Chriſtiano, qui ſanctiores Muſas colit, & in ludicris quoque meminiſſe debet ſeueritatis. Neque enim in hâc rerum diuinarum luce nobis licent quæ olim Ethnicis licuêre, qui velut in tenebris micantes, ſacra ſua religioneſque à maioribus traditas ludum iocumque faciebant. Circumſpectè hoc in loco incedendum eſt, & inſtandum cum cautelâ Antiquorum veſtigiis, & aliquando ne erres deflectendum de viâ, temperandumque Poëtæ Chriſtiana ſacra profeſſo, ab

his

his omnibus quæ nefas habemus nominare. Sed quid prohibet tandem, quò minùs prǽternauigatis ſcopulis, & hoc muniti conſilio eximij Iuuenes, nobiliſſimæ imitationis prouinciam ſuſcipiant, Plautinâque Caſinâ, ſi parùm ad palatum facit, Italis ſcriptoribus remiſſâ, ſpecimen ſui edant in diuinâ illâ & numquam ſatis commendatâ Terentianâ Eunucho. Nulli enim ſunt, meâ quidem ſententiâ, ſi ibi non ſint, in dicendo lepôres, nulla ingenuitas candidiſſimæ orationis, nulla nobilis & patricia vrbanitas, nulla Attica Venus, temperata Romanâ grauitate; eò vſque ſingulæ propè voces animos noſtros & intimos ſenſus perfundunt ſuauitate incredibili. Si quis tot è Latio opes, te auctore, in Galliam importauerit, & tot Læliorum Scipionumque domeſtica ornamenta, operâ & ſtudio ſuo poſſit conſequi; næ ille egregiè de ciuibus ſuis merebitur, magnamque inprimis à nobis inibit gratiam, qui dimidiatum Terentium, minimamque partem optimi cuiuſque malimus, quàm integros mille, temporum ſuorum Suffenos. Sunt nempè, neque vmquam deerunt, ex infimâ plebe litteratorum miſeri verſificatores, qui cœco impetu ferantur ad ſacram illam artem, à cuius poſſeſſione Muſæ illos omnes prohibent & Gratiæ: Sunt qui æmulari velint, quantùm in ſe eſt, & poſſunt coniecturâ aſſequi, Suffenos illos,

Bauios, Mæuios, Ligurinos, quorum ſcripta, plena peſtilentiæ & veneni, temporis non tàm iniuriâ quàm beneficio periere. Eos ego ſi neſcis, vt fugerem, ſponté abij in exilium. Prædones meliorum horarum non ferendos, qui infeſtam vbique habent politiorem Lutetiam; quos ſæculi incommoda, & quorum verſus, quamquam effuſos ab hominibus aliquando minimè malis, ſcelerata poëmata, prudens vocauit Antiquitas. Vale, mi ſuauiſſime & doctiſſime Sanchartræ, ſimiliaque argumenta, in quibus non equidem inuita verſatur oratio, & mihi & tibi porrò ſuggere.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS VINCENTI VICTVRO S. P. D.

HISTORIAM rerum mearum, variè nec ab vno auctore conscriptam, peruenisse ad vos non miror, præstantissime Victure. Miror tantam, vbi minimè decuit, animorum conuersionem factam esse, vt qui me ferebat in oculis, & summâ putabat dignum gratiâ, iam vt fulguritum auersetur, propriique ipsum iudicij pœniteat. Hîc certè, vt de nullius scelere & perfidiâ queror, ita possum multorum studia erga me & officia desiderare. Sola quippè mihi adest conscientia innoxiæ vitæ, vnusque & alter, quem non noui, infirmissimus defensor, solatia magis litis quàm virium auxilia. Nam necessariis olim meis vtor quidem non iniquis spectatoribus, sed ne verum dissimulem, spectatoribus

tantùm, & qui bonæ caussæ potius faueant, quàm periclitantem amicum iuuent. Hostis interim ventosissimus, tanquam re bene gestâ, quotidianâ ouatione excipitur à suis, & cùm populo placuisse sibi visus sit, nonnullosque collegerit plausus multitudinis imperitæ, ingenio putat deberi quod maledicentiæ debetur. Lege, si tanti est, superbas nugas, & importunam hominis loquacitatem propiùs inspice, fateberis famam illam, quam sibi tam malis artibus comparauit, non præmium sed furtum esse, scriptâque mea impuriùs longè accepta ab eo, quàm semesas illas dapes à diris & obscœnis auibus, quæ contactu immundo fœdabant omnia, & nunc quoque apud Maronem mensas diripiunt pijssimi Principis. Sancta Fides, & Ius publicum vbinam gentium habitatis? Ea est, Victure, adulteræ, vt sic dicam, manus audacia, vt & spuria pro legitimis sæpiùs obtrudat, & suos plerumque fœtus, aut à me alienissimos supponat mihi. Ita ruinâ germanæ & ingenuæ scripturæ, optimisque verbis corruptis & pessimis substitutis, mentem meam, etiam dùm nondùm eam gladiatorio stylo aggreditur, iam fraudibus & dolis suis profligauit. Adde quot plaustra conuitiorum in me indignissimè effundat; quot aculeos virulentæ scurrilitatis in coniunctissimum mihi quemque conijciat; quot inhonestis vocibus, & mu-

tuò à fornice desumptis, aspergat nomen & existimationem meam? Hostis sanè non erat, qui-cum in arenam descenderem, & plagas à malè sano inflictas, Socraticâ patientiâ concoxissem; ni me viri dignitate & sapientiâ præstantes, eiusdem seruandæ existimationis meæ commonefecissent, censuissentque non ingeniosam quoque Satyram altiùs vulgi animum penetrare, quàm vt solo contemptu crimina dilui poßint quæ in me confingit. Rescribo igitur, nequis silentium in conscientiam vertat, sed ciuiliter & more maiorum rescribo. Cumque vellet non nemo, vt in eum cuius immanitate violatus sum, aliquantò asperiùs inueherer, agam moderatè, inuitâ ipsâ materiâ, & reclamantibus hominibus, meæque potiùs naturæ seruiam, quàm alienæ voluptati. Dicam ea, non quæ ille audire debeat, sed quæ dicere ego debeam, potioremque rationem mei tuendi quàm illius inuadendi habebo. Cùm autem quæ facimus, ea optimo cuique probata esse velimus; magni æstimo scire quid sentias tu, vir optime & dicendi peritißime. Cuius enim re integrâ consilium exquirere maximè expediebat, eius inceptâ, iudicium nosse, plurimùm etiam iuuabit. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS CAROLO BERVILIO S. P. D.

DE meo ad Vrbem reditu, quem videris maiorem in modum desiderare, agnosco beneuolentiam tuam. Illîc verò, mi Beruili, animus ambitione liber, nil præter Amicos cogitat, & solutius viuendi genus, ne mihi Compedes & Dominos longè ostentes. Nondùm depudere didici, nec tam bonum stomachum habeo, vt repulsas, opprobria, cæterasque Aulicorum quotidianas delicias poßim libenti animo deuorare. Pro munere à te accepto gratias ago quantùm possum maximas. Opus est non vno pigmentorum flore & colore distinctum; in quo Philosophia, quæ hactenus penes Barbaros morata, caruerat iure & honore nostræ ciuitatis, iam primùm Gallicis litteris illustratur. Tu qui multâ doctrinâ es, eâque non

vulgari, ſed interiore & reconditâ, meliùs de toto hoc genere iudicabis. Velim tantùm amicum moneas, coërceat ſtilum, aliquando iuueniliter exultantem, reſque æſtimet non mole, ſed pondere. Nihil ſemel dicere contentus, bis terve eadem aliis verbis enunciat; & cùm plurimas inſtituat de rebus grauiſſimis diſputationes, in quibuſdam dilatandis longiùs iuſto euectus, ſatis ſibi temperare non potuit. Hoc verò eſt, vt aiunt, omnes vndique carpere ac delibare floſculos, omnique ex genere orationem aucupari. Quod tamen vt non optimum, ſic in iuuene non malæ frugis indicium mihi videtur. Amputanda enim plura ſunt efflorеſcenti illi ætati quàm inſerenda, facileque eſt remedium vbertatis, ſterilia nullo labore ſuperantur. Quanti oris & quanti ſpiritus Poëta ſit, Paulus ille Thomas ciuis meus, non eſt cur pluribus exemplis apud te probare debeam. Ipſe legendo periculum facies, parcamque labori non neceſſario, vno hoc contentus loco eximij operis, vbi de expeditione Rhetenſi agens tres illos celebrat,

Qui vitæ immemores, actique in poſtera ſæcla
Æternæ laudis ſtimulis, per cærula nando
Ire petunt, Regique Arcis memorare labores.

Et tandem de tertio ita canit, reliquis duobus ſuperſtite.

Iam turbida nimbus
Æquora miſcet atrox, vertitque à ſedibus imis,
Et iuuenem fera iactat hyems. Sors-ne aſpera ſemper
Rerum ſumma premis, cœptiſque ingentibus obſtas?
Parce pio Theti iuueni, da pergere curſum?
Non tua Seſtiadis thalamus per ſtagna puellæ
Quæritur; vrget amor Patriæ meliorq; cupido.
Auxilio properate, hominum ſi cura piorum eſt,
Delphines, pelago iam maior Arione fertur.

*Fabulam * * * quam non vidi, in amoribus tamen habeo. Multùm quippè iuuenis ille mihi videtur grandiloquus, & qui poßit proximè accedere ad Antiquorum maieſtatem, ſi cura accedat ingenio. Non pauca eius audiui optimæ notæ, & plena feliciſsimæ ſublimitatis. Nec enim crediderim recitatores impoſturam feciſſe auribus meis, meque grande, quod immodicum, & altum, quod ſit enorme, iudicaſſe. Tu autem, præſtantiſsime Beruili, ſemper-ne vota noſtra fruſtraberis, & eludes auiditatem legendi lucubrationes tuas? Nequaquàm tibi religioni eſſe debet quod profiteris vitæ genus, quo minùs audeas philoſophari; cùm non ignores è gente illa togatâ Sagatos in ipſis caſtrorum foßis & aggeribus operam dediſſe ſapientiæ, ſolitoſque ante*

Aquilas

Aquilas etiam & imperatoria ſigna animi gratiâ declamitare. Ne pereant ergò ſaluberrima dogmata, quibus ægræ errore mentes ad ſanitatem reuocantur. Amicorum modò votis faueas, audiet Gallia Socratem piè & Chriſtianè diſputantem, nec diutiùs latebit profuturum ſæculis opus. Si tibi in odium bona tua venêre, cur inuides homo non inhumanus felicitati Poſteritatis? Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS GVLIELMO GERARDO DVCI ESPERNONIO A SECRETIS S. P. D.

EXERCENT me semper crudeles illæ vigiliæ, de quibus apud te sæpiùs questus sum, & queri porrò non desinam. Quamuis enim authore viro grauissimo plus vigilare plus viuere sit, consolatur me parum tam subtilis ratio disputandi, & breuissimam noctium mortem, prolixiori huic vitæ dicam an pœnæ libens præfero. Beatum cui datur in multam diem stertere Amanuensem meum. Ego nempè dominus infelix proximis his tribus noctibus somnum oculis meis non vidi, qui aliàs, cùm liberaliùs me-

cum agitur, Auroram multis horis anteuertere ſim ſolitus, vt ille apud Tranquillum Princeps, Lucem non ſemel inuocare.

Ο Ζεῦ βασιλεῦ, τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, ὅσον
Ἀπέρατον, οὔποτε ἡμέρα γενήσεται.

Quos verſus ita interpretatus eſt Marcus Antonius Muretus, Latiniſsimus Tranſalpinorum, ſicut loquuntur Itali homines;

Rex Iupiter quàm immenſa res eſt noctium:
Numquam-ne pulſa nocte naſcetur dies?

De nupero Scriptore quidvis tibi? Habemus quod infecto Sophiſticâ lue ſæculo, Patriæ gratulemur, de reduci apud nos rectâ ſinceráque ſanctiſsimorum Patrum philoſophandi ratione. Quàm intelligens ille diuini & humani iuris? Quantùm rerum Chriſtianarum? Quantùm Antiquitatis ſacræ tenet? Sed neſcit Orbis cui beneficium debeat, latetque etiamnùm nominatiſsimi operis Author. Nihil igitur eſt, quò minùs ſimiliter compellare eum liceat ac nobile illud Ægypti flumen, cuius fœcundas alluuiones cuncti ſtupent, nemo ſacrum fontem inuenit;

vbicumque videris,
Quæreris, arcanumque caput non prodidit vlli
Rerum magna Parens, & Gentes maluit ortus
Mirari quàm noſſe tuos.

Proprium hoc eſt diuiniori cuique naturæ, vt agnoſci vix velit. Celebritatis impatiens & famæ; ſecreto ſuo & beatâ ſolitudine placidiſsimè fruitur, neque meliùs dignitati ſuæ conſultum putat, quàm ſi præcipua eius pars ignoretur à mortalibus. Vale.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
GVLIELMO GERARDO
DVCI ESPERNONIO
A SECRETIS
S. P. D.

AVdisti-ne quæ nuper ad Mosam & Mosellam gesta sunt? Non videtur humani consilij tàm subitæ expeditionis gubernatio esse potuisse, & de oculorum fide ipsi dubitant prodigiorum testes. Quia interest Reipublicæ, nè quis re sua malè vtatur, Nancæum tutelæ Regiæ creditum est; Duci, vt aliquid interim negotij habeat, leuiore procurationis suæ parte relictâ. Is verò, seu rerum Gallicarum famâ commotus, seu diffisus Oppidanorum animis, tempori decreuit cedere, & se suaque Regi permisit. Ita ostentato bello, nobilißimus Princeps, quod est pulcherrimum victoriæ genus, solo timore domitus est.

Num iam tibi, mi Gerarde, animo lubet fingere Romanam magnitudinem, tempuſque illud, quo Antiochus à Lucio Scipione imperatis certis rebus intrà montem Taurum regnare iuſſus, multatuſque Aſiâ Prouinciâ, gratias egit Populo Romano, quòd nimio pondere liberatus, faciliore imperio per eum vteretur. Breui ſimiles Principum Fabulas otioſi ſpectabimus, modo nobiſcum Fortuna bonâ fide redierit in gratiam. Ea certè eſt nominis Gallici reuerentia, is armorum noſtrorum vbique terror, vt præclarè agamus cum iis, quos pacatos eſſe patiamur. Plurimùm te iubet ſaluere meus frater, Burdegalam, ſi non vere nouo, ſaltem adulto profecturus: Tuus verò ſedet hic pro Tribunali, multâ cum laude integritatis, Virginum & Nuptarum iudex inculpatiſſimus. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOSEPHO MAGNASIO S. P. D.

SCilicet, Iosephe Magnasi, ad hæc ludibria nascimur, vt tum potissimùm nulli simus, cùm nos maximè florere arbitramur. Quis enim Gustauum non doleat, magno Alexandro, sed sicco & sobrio similem, in ipso flore ætatis fortunæque, ereptum esse Orbi Terrarum. Ea est fatorum iniquitas, idemque quod Ciuitatum quarundam institutum. Omne quod eminet, amputandum & quasi complanandum censent, neque vnquam virtuti parcunt sese nimiùm attollenti. Ire libeat per Gentium Annales, & omnis Antiquitatis memoriam replicare, obseruabis celeriùs semper corruisse Magnitudinem festinatam, & esse nescio quam, quæ spes ingentes decerpat, Inuidiam, nè vltrà quàm homini datum est, humana prouehantur. Ille quidem deleto hostili

exercitu, extremum spiritum in victoriâ effudit, opportunâ forsitan morte correptus, nè longioris vitæ beneficio superesset felicitati suæ, & vt quam apud Superos gloriam habuerat, illibatam ad Inferos deferret. Hoc verò, Magnasi, vaticinari est, & leuioribus remediis curare grauissimum animi vulnus. Fieri non potest quin alieno tempore tantus Heros nobis occidisse videatur, maximoque sui desiderio afficiat quicunque excellenti virtuti fauent. Princeps fuit, non ad vnam alteram-ve laudem, sed ad omnia summa natus; qui rarâ hoc sæculo societate, cum bellicis studiis iunxerat sapientiæ decus & exquisitam honestarum artium cognitionem. Dux semper & vbique felicißimus; qui posset tamen in aduersis consilio Fortunam emendare. Acerrimâ præditus acie mentis & igneâ quâdam animi vi: magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, cuilibet comparandus veterum Imperatorum. Sed hoc est gentis humanæ vitium: Viuos inuidiâ, mortuos veneratione prosequimur, nosque argui præsentibus credimus, præteritis erudiri. Audiant nihilominùs & fateantur iniqui alienæ gloriæ æstimatores. Deploratis Germaniæ rebus, in summum certè discrimen adductis, & extremâ spe pendentibus, prodiit velut è Machinâ Deus; quo præsentiorem, & ad hæc omnia in melius commutanda

accommo-

accommodatiorẽ, nec optare nec cogitando informare poteramus. At quis Deus, inquiunt, eidem ſpoponderat Germaniæ, profligato iam & confecto bello Victorem, integram à ſe eam, non minùs quàm ab hoſte conſeruaturum, & rebus geſtis ipsâque adeò virtute tantâ, Rempublicam, quam defendebat, non oppreſſurum aliquando? Quis ſcit an illum vidiſſemus, minùs imperantem cupiditatibus, longâque Fortunæ indulgentiâ corruptum, contrà quam non ſatis cauta mortalitas eſt? Vaticinantur iterùm, Magnaſi Nobiliſſime, & fidei regiæ, ſanctiſſimiſq; animi dotibus iniuriam faciunt. Non quærit, mihi crede, inuiſam potentiam, qui veræ gloriæ guſtum habet, amplam ſatis laborum ſuorum mercedem ratus, intueri Populos debitores, & Libertate parem eſſe ceteris, principem Dignitate. Hic diſtinctis officiorum finibus, & maximi Regis ſuſtinebat perſonam, & Ciuis optimi implebat partes. Nulla in eo morum inclementia, nulla aſperitas ingenij, nulla nè leuiſſima quidem nota Gothicæ indolis apparebat. Spartanum vel Athenienſem diceres, Matre peregrè profectâ, in Barbariâ natum. Vbi hoſtes cederent, non maior eſſe potuit parſimonia inimici ſanguinis. Nunquam fruſtrà paſſus implorari manſuetudinem ſuam, nihil in Victos acerbè & crudeliter ſtatuebat, in ipſo belli æſtu & armatâ

licentiâ plurimâ humanitate temperatus. Quin etiam in vrbibus deditis Societatis Iesu Patres, aut ad colligendam clementiæ famam, vt quibusdam placuit, aut veriùs vt obtemperaret naturæ suæ, suscepit sæpiùs & tractauit liberaliter, quamuis vulgò malè audirent nomine Ibericæ factionis, eosque togatos Philippi milites ipse vocare consueuisset. Iam verò tot & tantæ virtutes nosti quàm benè & splendidè habitarent, vtque omnia, quæ obiret, munera, formæ tanquam luminibus illustrarentur, redderenturque conspectiora. Mira in ore dignitas, cœlestis ardor oculorum, firmissima proceri corporis compages, longè latèque Principem ostendebant. Eam enim, Magnasi, esse scis Philosophorum paulò humaniorum sententiam; affirmatque Aristoteles tuus, si qui reperirentur eâ specie quam in Deorum statuis admiramur, aliis omnibus & quidem volentibus imperaturos, aliquasque etiam fuisse Gentes, quæ in mandandis Imperiis Pulchritudinis præcipuam haberent rationem. Amisimus igitur castigatißimum perfecti Principis exemplar; in quo nihil præter antiqua sacra & communem nobiscum de rebus diuinis opinionem, desiderares. Nam eum non omninò intactum fuisse ab auaritiæ sordibus, nec alienißimum ab omni lucri cupiditate, etiam-si fama non & hîc quoque

mentiretur, iſta certè non eſt Guſtaui culpa, ſed temporum; quibus impunè naſci, Deamque Monetam negligentiùs colere, nè Græco quidem Cimoni aut Romano Mecœnati liceret. Hæc ad te pluribus, vt à te plura & meliora eliciam, prouocemque ſublime ingenium præſtantiſsimæ materiæ nobilitate; quæ licèt ſuo iure poſcat Virgilianam tubam, eam tamen per me more tuo poteris Lucretianis numeris includere. Quanquam enim auſterum illud priſcæ Antiquitatis & frugale redoleant, ita apud te propriâ ſuauitate condiuntur, vt duritiâ omni dimiſsâ, vetuſtatis auctoritas ſola remaneat. Vale, & Pacis artes, vel magni Guſtaui exemplo, perge in caſtra ipſumque in campum deducere.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS EMINENTISSIMO PRINCIPI, ARMANDO, CARDINALI DVCI RICHELIO S. P. D.

NON facilè dixerim, Eminentissime Princeps, plus-ne molestiæ ex afflictâ tuâ valetudine conceperim, an illuxerit mihi gaudij ex redditâ tibi diuinitùs sanitate. Nisi fortè, vt sumus in æstimandis malis delicatiores, obtusior verò est bonorum sensus, vix meam adhuc voluptatem intelligam, & liberatus metu, horream iam quod timere desij. Aliquandiù hæsi, fateor, ad subitum optatissimi nuncij fulgorem penè perculsus, neque de te satis audebam famæ & auribus meis credere. Sed vt ab

eâ perturbatione ſe recipere cœpit animus, & ſuper morbo tuo ſecuriùs aliquantò philoſophari, ex occultis mali cauſis hæc præcipuè occurrebat. Deum optimum maximum, graui illâ iræ ſuæ ſignificatione ſollicitos habere voluiſſe mortales, & tantiſper velut deliberaſſe, an ingratum Sæculum, clariſſimi quo illuſtratur luminis, æternâ defectione mulctaret. Fuit illa, vt credibile eſt, immiſſa ab eo, felicitati publicæ temperatio, quâ ſuperbientes animos noſtros, & iam repetitis victoriis feroces admoneret humanæ fragilitatis, remque Gallicam altiùs ſeſe efferentem moderaretur potiùs quàm inclinaret. Aut fuit certè, vt ſubtilioribus placebat, aduerſorum Siderum peſtilens in nos conuerſio, quæ funeſtum aliquid & calamitoſum portenderet, nullâque potuiſſet declinatione vitari, ni fuſæ ad aras Bonorum preces, & feruentiſſima Gentium vota letale virus mitigaſſent. Sed his ſuſtinebatur mali impetus, non concidebat. Neceſſe fuit fatalem tempeſtatem erumpere aliquò, & aliquando parere quod iamdudùm parturiebat. Singulari itaque amici Numinis beneficio à noſtris ceruicibus, & ab hoc Imperio procul depulſa, vltimæ Germaniæ incubuit, præcipuaque eius vis in caput fortiſſimi, & feliciſſimi aliàs Gothorum Principis effuſa eſt. Quod caput, Eminentiſſime Princeps, tui pretium, & quaſi

compenſationem fuiſſe, non contemnendi quidam ſignorum cœleſtium interpretes exiſtimarunt, neque minori victimâ tàm nobilem animam redimi poſſe, in arcanas fatorum leges curioſiùs inquirentibus videbatur. Quod ſi huic hominum generi aberrare à vero non ſemper licet; Si ſuccidanea illa hoſtia Siderum iniquitati debebatur, nec viliùs poteras Reipublicæ reſtitui; feramus æquo animo acerbam tanti Heroïs mortem. Te viuo lugeri poteſt, deſiderari verò non poteſt. Feciſti enim, Eminentiſsime Princeps, vt de alienis viribus ſecuri, in vnâ mente tuâ acquieſcamus. Quicquid magnum & memorabile abhinc ſeptem & ampliùs annis, Europa vidit, totum id è fonte conſiliorum tuorum fluxiſſe ſcimus. Quæcumque Rex inuictiſsimus pro ſalute & libertate Sociorum, prodigiis ſimilia geſsit, ea non ſine te geſsiſſe ipſe teſtis eſt; nec metuendum arbitramur cùm ſatis ſit artis, abundè inſtrumentorum non fore, quæque nunc ad Albim & Danubium peragitur, nobiliſsimæ Fabulæ, Hiſtriones, Poëtâ ſuperſtite, defuturos. Superſtitem autem multos annos boni Superi volent, ſi non populum Chriſtianum peroſi ſunt, & fauentes beneficiis ſuis, quod optimum Terris dedêre, eſſe quamdiutiſsimum patientur. Tu verò prolixam illorum in te benignitatem, etiam tua ſollicitudine adiuua. Noli noſtro periculo, hu-

mana omnia, mortemque adeò ipsam contemnere; teque per quicquid est & Diuinitatis in Maiorum Religione, & in Regio nomine Sanctitatis obtestamur, vt sis tui in posterum cautior & fidelior custos, valetudinique tuæ, in quâ communis salus periclitatur, diligentiùs accuratiùsque seruias. Non modò, Eminentissime Princeps, serua te tibi, sed & serua te nobis, serua te tuæ, atque alienæ Reipublicæ. Eo siquidem in discrimine versatur vniuersus Christianus Orbis; eo in loco Italiæ res atque Germaniæ constitutæ sunt, vt videantur non solùm ab omni fortunâ, sed ab omni etiam spe derelictæ, si quid tibi iam humanitùs eueniret. Nam quid de matre Galliâ dicam, quæ te omninò carere non posse, ipso Regis augustissimi testimonio profitetur? quæ vt natales tuos sibi vindicat, sic suam tibi incolumitatem acceptam refert, & cui eo nomine plurimùm debes & amoris & curæ, aut vt Parenti charißimæ, aut vt optimus Parens. Satis tu quidem, si vita tua non ex annorum numero, sed ex rerum à te præclarè gestarum multitudine censetur, Naturæ vixisti; Satis etiam Gloriæ, si ei modum æquitate animi tui definire vis; At, quod nostra maximè interest, parùm certe Patriæ vixisti: quæ cùm superiorum temporum iniuriâ, multa perdiderit, & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ, præ-

cipua quidem per te, nondùm tamen omnia recuperauit. Quæcumque licentiâ bellorum ciuilium dilapsa fluxêre, Eminentißime Princeps, ea tu legum seueritate vincies: corroborabis quæ sanasti, firmabis quæ excitasti, recreabis quæ asseruisti. Hic restat gloriosißimæ vitæ Actus: Hæ sunt tibi extremæ impositæ partes, quæ à te cumulatißimè implebuntur, vt primùm post tot & tam graues procellas, aliqua tibi domesticæ tranquillitatis lux affulserit. Probè enim nouimus hoc, quicquid est, iamdudùm te animo agitare, nec delineasse ideò optimam formam Principatus, vt post aliquot demùm sæcula, eam alter expressurus sit. Impones ipse sanctißimo operi vltimam manum, & liberalitas illa, quâ externa etiam & longinqua subleuas, quæque vltrò calamitati occurrit, nullius oratione euocata, non deerit Patriæ aliquâ sui parte laboranti, & opem implorant tuam. Est illi gratißimum, quod illam saluam esse voluisti; Sed vellet à te non solùm salutis suæ, quemadmodùm à Medicis, verùm etiam vt ab Aliptis, virium & coloris ratio haberetur. Vellet pingui illo & affluente otio frui, quo sine Pax mœsta in sordibus & squalore versatur, nec Bello ipso minor est, sed minùs gloriosa calamitas. Communi humanitati maximè consentaneum existimat, vt non solùm florens beatusque sit qui Imperium obtinet,

sed

ſed etiam vt imperet florentibus & beatis, né-ue alienæ miſeriæ aſſiduâ contemplatione inquinet felicitatem ſuam. Hactenus clara, illuſtria, miranda Gentibus fuere quæ geſſiſti. Nunc de te noſtri homines iucunda ſibi atque ſuauia pollicentur. Habent in te quod laudent, & quod ſtupeant; Sed hoc cum Barbaris, hoc cum Hoſtibus commune habent: Nunc quod placeat, & quo fruantur, quod proprium & verè ſit ſuum, expectant. Animus tuus ad maxima quæque intentus, in procurandis Regum & Imperiorum grauiſſimis negotiis totus hactenus fuit: Sed te cogit rerum neceſſitas eundem animum aliquando ad minora referre, & partem aliquam in domos & fortunas noſtras deriuare, curæ & cogitationis tuæ. Non enim vt nobilis ille artifex, Veneris caput & ſumma pectoris, politiſſimâ arte perfecit, reliquum corpus inchoatum reliquit; ſic elaboraſſe ſolùm in capite, hoc eſt in aſſerendâ Regiâ dignitate, inferiorem corporis partem, priuatas ſcilicet Plebeculæ rationes neglexiſſe videri velis. Quæ cùm ita ſint, Eminentiſſime Princeps; cùm deſcenderis à ſummis ad hæc humilia, expertus nobis dices, quæ ſit dulciſſima omnium & innocentiſſima voluptas. Videbis pulcherrimam illam diem, & votis tuis omnibus expetendam, quâ tibi à Ciuibus tuis, & ab vniuerſo

populo Gallico similiter acclamabitur, atque olim Octauio Puteolanum suum præteruehenti, à nautis & vectoribus coronatis ac thura libantibus acclamatum est, Per illum se viuere, per illum nauigare, per illum libertate & fortunis suis frui. *Quibus ille tenuißimorum hominum vocibus, nullâ vi aut adulatione expreßis, tantoperè delectatus est, vt præ iis honorificentißima Senatus Decreta, deuictarum Gentium Titulos, ipsa Trophæa & Triumphos suos parui fecerit. Illæ quippè demum laudes altißimè in animum descendunt, quæ veræ & à credentibus dicuntur; neque vlli certiùs potest esse immortalitatis suæ pignus, quàm præsens in ipsum vniuersorum amor. Hoc te vltimum laborum & vigiliarum præmium manet, Eminentissime Princeps. Finitâ tuâ mortalitate, adhuc in ore & Gentium animis viues. Adhuc Virtutum tuarum & sanctissimorum Consiliorum memoriâ moderaberis Terras. Temporum tuorum felicitas à gratâ posteritate inter exempla numerabitur, habebuntque seri Nepotes, in vnius togati hominis Historiâ, benè gestæ, fortiter conseruatæ, & præclarissimè ornatæ Reipublicæ absolutissimum simulachrum. Et hoc nos quoque iampridem haberemus, nisi cùm domi, tùm foris nata aut concitata in te impedimenta ac veluti sufflamina piis deliberationibus obstitissent. Sed hi magnarum co-*

gitationum ſcopuli, virtutis tuæ impetum retardare potuerunt, virtutem autem tuam nec frangere nec debilitare potuerunt. Perrumpes ad propoſitum tibi ſcopum, ſi ire non datur. Expugnabis, ſi fas eſt dicere, ipſam felicitatem, & à Fatis extorquebis quod impetrare non potuiſti. Expedita & facilia vulgaribus animis relinquantur; Ardua & aſpera ſola digna ſunt, in quæ incumbas; & nihil tantum eſt quod non ab eo ſperare debeamus, qui tanta geſſit, tanta ſuſtinuit. Inuidiam, quia extingui non poteſt, exarmaſti. Cum Fortunâ feciſti periculum virium, & vt leuiſſimè dicam, non victus es. Illa inquam rerum, vt vulgò creditur, Domina, quæ tot Reges in vincula coniecit, tot Regna peſſumdedit, de tot Victoribus triumphauit, quotiès tecùm congreſſa eſt, toties à te receſſit, illibatâ tuâ & inuiolatâ dignitate. Nullæ ſunt illi nocendi artes, quas in te non exercuerit, nullum virus, quod non effuderit, nullum tormentum, quod in te fruſtrà non intentarit. Ita vt iure poſsis cum illo exclamare,

quæ iam arma tibi, Fortuna, ſuperſunt?

aut vſurpare illud Tragici,

Da ſi quid vltra eſt, Iuno, quid vinci iubes?

Vinces ergò quem tibi proponimus inferiorem longè his hoſtem, nec totâ ad id adhibitâ animi tui contentione; Et poſt exciſas apud nos omnes Belli ciuilis

fibras, ipsumque Partium & Factionis nomen penè deletum, post exactos alienis sedibus Tyrannos, & restitutos in auita Imperia Principes; quid erit hoc, de quo agimus, ægrorum Ciuium leuamentum, nisi leuißima accessio laboris tui, quamuis non magnum modò incrementum, sed absolutio etiam postrema gloriæ tuæ?

His de omnibus, Eminentissime Princeps, cùm nuper in agrum Burdegalensem, salutandi tui causâ profectus essem, tecum agere animus erat, & nouissimum rerum Gallicarum successum, tibi, vt par erat, gratulari. Sed quia coràm per valetudinem tuam non licuit, habe has à me Litteras, testes perpetuæ ergà te meæ & Rempublicam voluntatis. Purissimi amoris sensum & ingenuas quandoque modestæ libertatis voces boni consule: ac credas velim, nihil mihi in hoc secessu nec suauius esse, nec antiquius, quàm immortalium virtutum tuarum assiduâ recordatione frui, & intueri identidem in Musæo, penicillo expressam probi tui & pudici oris dignitatem. Quàm charissimam mihi imaginem (liceat more antiquo semel loqui) inter Penates & domestica Numina religiosè veneror, & cuius quotidiano conspectu animus æger, nec suis minùs quàm corporis doloribus intentus, tantisper recreatur. Audet aliquando hoc teste & hortatore studiorum

augusto vultu, de abditis rerum caussis, de natura cœlestium ignium, de his quæ sub aspectum non cadunt, de Deo ipso & de diuinis quærere. Nec pauca mihi præterea sunt, cùm ad Philosophiam de moribus, tùm ad Doctrinam Ciuilem spectantia, eodem inspectore elaborata; quæ sparsa velut & dissipata membra si colligere liberet, possent in iustam corporis molem facili negotio coalescere. Sed de his infelicis parentis fœtibus, an exponendi an tollendi sint, ampliùs deliberandum. Vtvt sit, ad summa tua in me merita summus cumulus accederet, multòque mihi certiorem & magis compendiariam ad æternitatem viam aperires, si velles ipse ingenij tui clarissima monimenta, præposito his à me Proœmio, edendi facere potestatem. Quare te vehementer ac enixè rogo, vt de Tuis aliquem iubeas hæc seligere, mihique committi præcipuarum Orationum exempla, quas tu aliàs habuisti; seu cùm è sacro suggestu Christi Domini mentem & consilia Populis explicares; seu cùm in ciuilibus Comitiis, de Pacis & Belli iure, de Fœderibus sanciendis, de reuocandâ Maiorum disciplinâ dissereres. Eo vbique verborum & sententiarum delectu, in quibus incorrupta patrij sermonis integritas, & venus illa spiret, nè leuissimâ quidem fuci labe, aut peregrinitatis aspersa. Nam & tu olim (tali nos consortio

gloriemur) dum per Rempublicam licebat, non auersatus es mansuetiores has Musas, & communia nobiscum Sacra coluisti. Qui tunc temporis credebantur in eo genere plurimùm posse, non dubium artis tibi suæ principatum augurabantur, & iam meo quidem iudicio perueneras quò destinabant. Sed ab amœnitate studiorum reuocarunt grauiores curæ & tutela rerum humanarum. Non fuit publicis rationibus conueniens, tàm excelsum animum & tantæ molis capacem, circa verba & syllabas diutiùs occupari, parùmque Deo Immortali visum est, te esse disertissimum Oratorum. Non hæc tibi tamen in postremis habenda laus, quam Græci æquè ac Romani Principes, in primis atque adeò in deliciis habuere, quæque præstantissimis cæteris tuis dotibus dehonestamento non erit, si in earum societatem illam venire patiaris. Ceterùm de te etsi aliquid gratiæ & benignitatis nec temerè nec dubitanter sperare debeam, nil tamen vnquam & ad lætitiam animi iucundius, & ad nominis famam illustrius te mihi impertire posse arbitrabor, quàm si quod à te maiorem in modum peto, depromptum è litterariâ tuâ suppellectile munus impetrauero. Is enim sum, Eminentissime Princeps, qui honesta vtilibus semper anteponam, malimque bonâ tuâ de me existimatione,

quàm magnis tuis erga me beneficiis, apud Poſteros inclareſcere. Vale.

Prid. Id. Ian. M. DC. XXXIII.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS EMINENTISSIMO PRINCIPI, ARMANDO, CARDINALI DVCI RICHELIO S. P. D.

EGO verò, Eminentissime Princeps, quas ad me dedisti litteras adoraui veriùs quàm legi. In iis præcipuè Imperatorium illud scribendi genus, nec ab eo aliud, quo in summâ potestate vsus dicitur vltimus Romanorum, Marcus Brutus. Ita cùm hominibus loquuntur Leges, quæ de rebus statuunt, non disputant, omnemque adeò odêre in oratione luxuriem, vt plerùmque breuitate laborent suâ. Hoc in te quod deest Legibus, nequaquam desideramus, Princeps Eminentissime. Earum vim maiestatemque

que aſſecutus es, nodos & ambages effugiſti. Apices *illi, quos ad me diuina manus exarauit, plus quidem ſignificant quàm dicunt: Sed tamen vel non attento lectori faciunt ſatis, & diligentis acumen non requirunt. Me certè in obſcuro Orbis angulo deliteſcentem, vnique iam ſtudentem parandæ bonæ menti, & quidem ſub diſciplinâ Chryſippi Zenoniſque, triſtiſſimorum mortalium, reuocarunt ad iucundiora ſtudia, & Aulicis artibus Philoſophiam æquiorem. Te propter, cùm iratis mihi aut à me neglectis litteris redire in gratiam viſum eſt; parùmque abfuit quin illicò Montium & Siluarum mearum fugitiuus, ab omni licet imparatus notitiâ rerum urbanarum, de te & de Republicâ diſputarem. Ergò in tàm vberi Poëtarum & Oratorum prouentu, quem annus hic & ſuperior attulit, noſtra, qualiacumque illa ſint, non ſordent tibi, nec meliorum abundantiâ viluêre? Non omnem ergò abieciſti antiqui Clientis memoriam, atque aliquid in gratiam mei,* vbi res locuſque dabunt, *te præſtiturum pollicitus es? Ad hanc, Eminentiſſime Princeps, non auerſi à me animi ſignificationem, quò minùs pro præſenti rationum mearum ſtatu reſpondeam, facit pudor quidam ſubruſticus, & in abſente etiam teneræ frontis infirmitas. Vtcumque tamen conſuluero verecundiæ meæ, ſi velut ſub perſonâ hîc*

agens, de Fortunæ iniquitate ad benignitatem tuam prouocem, alienâque mihi linguâ & commodato genere orationis ita ordiar.

Non dubiæ, Princeps, exhibe vocis fidem,
Et quod ſpopondit Numen, id fiat ratum.
Grauiora noſtris facilè viciſti mala:
Nolente fato facere beatum me potes,
Nolente lætos Sorte ſucceſſus dare;
Simul locum ac rem, cùm voles, vnus dabis.
Tempus tibi ſeruit & ſuperba Occaſio,
Ipſumque Cœlum prodigâ fauens manu
Tranſcripſit in te ſolliciti curam Soli.

* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *
* * * * * * * * * * *

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS EMINENTISSIMO PRINCIPI, ARMANDO CARDINALI DVCI RICHELIO S. P. D.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Aliquot Errones meos, non inuito me, Amici ad ſigna coëgêre, & congregatis quæ diſſoluta vagabantur, cùm aciem de turbâ feciſſent, alterum Epiſtolarum mearum volumen eſſe voluerunt. Hoc tibi non tàm dono quàm reddo, Eminentiſſime Princeps, vel cui iampridem ex voto omnia debentur mea, vel qui principem, quem vbiquè obtines, locum, etiam in Republicâ litterariâ meritiſſimè tueris. Vnus certè intelligis opti-

mè, quanti quæque in litteris facienda ſint, æquiſſimus omnis humanitatis æſtimator. Vel in breui Epiſtolâ, quæ tua eſt ſagacitas, doctum potes ab indocto diſtinguere, & notitiam plurium rerum odorari: Quæ etſi non habent quò ſe oſtendant, tàm anguſtis finibus oppreſſæ, vim tamen occultam ſuggerunt, & à peritis tacitè quoque ſentiuntur. An ſint ergò in hiſce Meis veſtigia quædam elegantioris doctrinæ; an natiua nullibi violetur popularis linguæ mundities; an aliquis orationis ornatus, aliqua numerorum & compoſitionis ratio, animum & aures capiat; an denique, quibus ſeria temperentur, ioci ſint liberales, & ingenuo homine digni; tuum erit iudicium, Eminentiſsime Princeps, nec quiſquam de ſe quidquam audeat te inconſulto ſtatuere. Scio graues olim & ſummæ dignitatis viros tàm intemperanter plerùmque indulſiſſe feſtiuitati, vt nè quidem nudis & prætextatis verbis abſtinuerint. Quæ ſermonis labes, è luſtris & popinis deſumptæ, infrà dignitatem ſunt, meo iudicio, etiam non ſeriæ orationis. Apagè Cynicam illam, nè quid dicam ampliùs, libertatem. Mihi præcipuam ſemper verecundiæ rationem habendam putaui, & illud Scriptoris non puriſsimi, vniuerſæ Scriptorum nationi dictum viſum eſt,

Tanti non erat eſſe te diſertum.

Vnum, Princeps Eminentißime, quod à te probatur, admittimus iocandi genus, modestum & innocens; quo, Marco Tullio teste, Philosophorum Socraticorum libri sunt referti; quo ipse Tullius vsus est & parens Philosophiæ Socrates; quo maximi quique Oratores defatigatos Auditorum animos non sine successu recrearunt. Præbemus verò hæc occupatæ menti non ingrata diuerticula, per quæ interdùm à molestis cogitationibus quodam modo peregrinetur, & vt acres generis humani curas, grauißimosque labores condiat mitioris & iucundioris studij amœnitate. Sint Barbarorum Principum ineruditæ voluptates: Tibi, Græcis Romanisque artibus à primâ pueritiâ imbuto, non licet nisi in rebus honestis remittere animum, & cum laude aliquâ etiam otiari. Vale.

Calend. Ian. An. M. DC. XXXVI.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS EMINENTISSIMO PRINCIPI, ARMANDO CARDINALI DVCI RICHELIO S. P. D.

QVOD ad te ſcribam rariùs, non pecco, Princeps Eminentiſsime; peccare mihi viderer, ſi grauiſsimâ rerum procuratione diſtrictum, inani verborum ſtrepitu obtunderem. Ideò contineo ego me, & cùm ſemper de te cogitem, votaque, vti debeo, pro ſalute nuncupem tuâ, ea plerumquè tacitâ quâdam & verecundâ religione concipio. Nunc verò, cùm vniuerſum, quà patet, Chriſtianum Orbem laudum tuarum Theatrum effeceris, ijque inprimis de quibus benè meritus es, tuam illam rerum geſtarum

gloriam & magnitudinem tibi coràm gratulatum eant, vix viderer ingrati animi notam posse vitare, si saltem causam apud te non agerem absentiæ meæ, nec significarem tibi, quàm non libenti animo pulcherrimo spectaculo caream. Hîc me igitur, Eminentißime Princeps, domestica quædam negotia morantur, nemini alioqui in hac communi Bonorum omnium lætitiâ, vel officio, vel cupiditate concedentem. Cùmque adeò totus essem in profectione adornandâ, è latebris suis prodière exercitatæ militiæ Veteratores, qui Parentem litibus implicarent, neque paterentur innocentißimum virum quietâ frui senectute. Laboranti itaque præstò esse, & sustinere ætatem iam inclinatam, & tueri iniuriæ opportunum, meæ esse credidi pietatis. Quæ nisi erga sanctum mihi nomen officia suo iure ipsa Natura postularet, diù est quò me alieno etiam anni tempore, nec valetudine satis firmâ, longæ ac difficili viæ commisissem. Quid enim optimarum partium Ciui, & tui studiosißimo poßit esse iucundius, quàm in mediâ Gloriæ tuæ luce versari, inque tuo augustißimo vultu acquiescere, Eminentißime Princeps, qui præcipuè meruisti, nè Seculum hoc antiquioribus inuideret; qui à Rege, post hominum memoriam maximo, in societatem consiliorum assumptus, intra voluentem annum rés geßisti, in omne

æuum omnium ſcriptorum ingenia fatigaturas; qui in arte militari, non alienis præceptis, ſed tuis imperiis eruditus, indè incœpiſti quò peruenire difficile eſt; per quem denique florentiſſima quondam Gallia, quæ omnem veteris dignitatis ſuccum atque colorem amiſerat, breuiſſimo tempore ornamenta ſua omnia ſplendoremque priſtinum recuperabit? Neque verò id mihi nouum atque inſolens de te tàm altè tàmque magnificè ſentire ac loqui. Id palàm crebris nec obſcuris ſermonibus vſurpabam, cùm tui, vnà & Reipublicæ hoſtes, locum tibi debitum occuparent, eamque virtutem, quam nunc colit genus humanum conſentientibus omnium votis, non ea quæ debebat fortuna ſequeretur. Cùm ergò mihi qualis quantuſque es, iam à decennio velut per nubem apparueris, atque hæc omnia multò antequàm fierent, quaſi ex aliquâ ſpeculâ futura præuiderim, ardeo cupiditate incredibili, vt de toto meæ diuinationis euentu certior fiam, eamque Temporum felicitatem meis vſurpem oculis, quam ante aliquot annos, animo meo concipiebam. Quâ ego voluptate fruiturum me ſpero, vt primùm à paternis negotiis animus liber erit, quæ longè à ſtudiis meis abhorrentia, occupatum me hactenùs & exercitatum habuerunt. Audeant interim confidentiſſimi mortalium, profanâ temeritate foribus ſacris obſtrepere,

obstrepere, & insidientur tempori iam non tuo, sed propriæ Reipublicæ possessioni. Aliter mihi, Eminentissime Princeps, officij mei ratio constabit, & modestam hanc quam optare fas est voluptatem, intrà terminos non molestæ tibi contemplationis coërcebo. Absit vt occupato negotium facessam otiosus. Nec propterea tamen me tibi penitùs excidisse, omnemque mei memoriam te deposuisse vmquam putabo. Tua nimirùm singularis sapientia diuinam imitatur, quæ non sic voluendis cœlestibus illis orbibus, cæterisque nobilioribus Naturæ partibus intenta est, vt non spontè etiam inferiora respiciat, & de minimarum animantium salute sollicita sit; quæque nullam rem neque tàm magnam, vt sibi difficilis, neque tàm paruam putat, vt parùm se digna videatur. Quare mihi persuasum est tibi haud graue futurum, vel in summis occupationibus tuis, me meáque primæ admissionis Amicis, Fiatio & Buthillerio commendare, atque vnico nutu tuo timidiori homini gratiam facere diuturnæ petitionis. Et profectò si is non sum, cuius absentis ratio haberi debeat, Tu is es tamen, Eminentissime Princeps, cui vbique & ab omnibus inposterùm gratiæ habeantur. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI CAPELANO S. P. D.

CONCEDE mihi, optime & modestiſſime virorum, vt te arbitratu meo & diligam & laudem.

Numquam ita magnificè quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.

Ferreus inquam ſim, & alienus ab omni humanitate, ni de te omnia præclara atque eximia ſentiam, cepiſſeſque duriorem etiam me virum, ſingulari illâ doctrinâ & eloquentiâ tuâ; tùm verò, vt de occultioribus taceam animi bonis, incredibili morum & iucundiſſimæ conſuetudinis ſuauitate. Hæc à naturâ tibi inſita, facit inprimis nil vt te ſit amabilius, teque habeam ferè vnum, in quo conquieſcam, & in cuius ſinu omnes curas ac dolores deponam meos. De prudentiſsimis litteris tuis, quibus ad me

*formam communium Temporum & totius Reipu-
blicæ, expreſſam miſiſti, valdè equidem te amo.
Video enim & pericula leuiora quàm timebam,
& maiora præſidia quàm hîc nunciabantur. Ma-
gna eſt animorum perturbatio; magni fractis & de-
bilitatis metu animis, Galliæ videntur motus im-
pendére. Sed ſit ita vt volunt homines meticuloſi;
non ignoras, vir doctrinæ ciuilis peritiſsime, mini-
mis plerumque momentis fieri maximas rerum in-
clinationes, & aliquando propiores periculo fuiſſe
qui vicerunt. Cùm nihil ſupereſſet victori gentium
Populo, præter obſeſſum Iouem & Camillum exu-
lem, tunc quoque Romuli nepotes de Orbis Terra-
rum imperio cogitauêre; ipſique illi, de quibus agi-
tur, Hiſpani, quotidiè inſultant calamitatibus ſuis,
neque vnquam, vel victi, voces emittunt minores
viro, & antiquæ ſuperbiæ oblitas. In ſummis angu-
ſtiis Ærarij, ſummáque hominum inopiâ, montes
aureos* καὶ Ταντάλου τάλαντα *crepant: Equitum Pedi-
tumque iactant nubes, & conſternunt maria Claſ-
ſibus fabuloſis. Nos maiora hoſtium, noſtra minora
ſemper ducimus, metu-ne dicam, interprete in dete-
riora inclinato, an imperitiâ rerum humanarum,
& obliuione regiæ felicitatis? Parùm illi certè no-
tam eſſe oportet inuicti Principis fortunam, qui non
hæc omnia quàm-primùm meliora futura credit, &*

vel minimùm dubitat de expugnatione Corbiensi. Quid nempè hoc quæso monstri est? Effluxerit-ne tàm citò memoria felicissimæ Virtutis, totque Laureæ amiserint tàm breui interuallo viriditatem? Exiget foras, dubio procul, Iberos fures, idem qui hostes Iberos in fugam dedit, quâque solet fortitudine obstantia quæque impetere, sustinebit iam impetus Cæsarianos, totumque Septentrionem reprimet, in Galliam suam efferuescentem. Sed, inquiunt, repentinâ tempestate in Aquitaniâ coortâ, nonnihil turbatum est domi, instatque Bellum à Plebe rusticanâ, quod quidem, quis excepturus sit exitus, in incerto habetur. Sic in vltimum propè Italici generis excidium, effracto Cnei Lentuli ludo, Mirmillonum agmen emicuit: Sic bella Consulibus, ancipiti Marte pugnata, Cilix pirata conflauit: sic tenentibus arma Fugitiuis, Romana diù pila cesserunt ferro ergastulorum. *Hæ sunt verborum ampullæ, & istiusmodi schemata mirùm quantùm sapiunt declamatoriam vanitatem. Scio in Prouinciis, Capelane, vt principes & optimus quisque æquo fert animo præsentem statum, ita infimam multitudinem, & quorum fortunæ non ex sententiâ ipsorum sint, omnia nouari velle. Scio defuturos nunquam, quibus opus sit bello ciuili, & qui propter implicationem rei familiaris, communi incendio*

*malint quàm ſuo deflagrare. Sed hi duntaxat malè de Republicâ ſentientes, nudi ab omni bellico apparatu, animum tantùm armatum habent, pridemque virtute regiâ effectum eſt, nihil vt poſſint niſi vota facere contra publicam ſecuritatem. Adde quod multùm hîc etiam intepeſcit popularis ſæuitia, vt in finitimis quoque Prouinciis, eodem Furiarum genere nuper vexatis, vbi ſi quis nomen Publicani odoratus eſſet, totam repentè concitabat viciniam, quæ obuios quoſque, ſub eâdem cauſsâ plerumque obruebat. Iam ******* Sed de Republicâ, dubiiſque his temporibus fortaſsè plus ſatis. Ad alia, quæ iam te rogo, ſtudiis noſtris magis conſentanea, pro tuâ humanitate reſpondebis. Viuitne & regnat, ipſa liberior Sparta, præſtantiſſimus Olearius, beatoque illo fruitur cum litteris & dignitate otio? Quid noui enixæ ſunt Sirmondianæ Muſæ, ſpectatiſſimæ illæ fecunditatis, & vtrâque linguâ doctiſſimæ? Quid agit Vincens Victurus? Aſsiduuſne, vt ſemper, in foro aleatorio, neglectâque Academiâ, vetere ſcilicet & verâ, nouam & ſanctiſsimum nomen ementitam elegit, in quâ totos dies circa exilia quædam puncta & minutiſsimos apices philoſophetur, in contumeliam Platonicarum Idearum? Poterat, vt mediocriter dicam quod ſentio, meliùs ac liberaliùs occupari; & niſi inhoneſtæ de-*

fectionis illustrem Transfugam pudeat, erit cui Diuæ nostræ exprobrent beneficia sua, & quem ingrati animi crimine, apud omnem Posteritatem insimulent. Quando-nam liberabit obligatam sponsione fidem, redibitque nouâ auctus gloriâ & nouis onustus spoliis, nobilissimus Polexander? Sanctè tibi affirmare possum, summâ eum vbique in expectatione esse, & ab innumeris Olympiis desiderari. Nullam igitur interponat moram, quin apparatissimum triumphum agat, ad nosque præcipuè aduolet cupidissimos sui: Scis quippè quàm sit amori vel ipsa tarda celeritas, & quàm graue sperantibus purissimas & suauissimas voluptates, paucorum etiam dierum molestiam deuorare. Elegos, quos petiisti, non illos quidem, vt Plinianis verbis loquar, fluentes, teneros, & enodes, sed tamen Elegos cum his habebis; & quò-minùs iam habueris, per morbum Totilæ factum est, cuius ego lego vt plurimùm oculis, & manu in scribendo libentissimè vtor. Cornelius tuus si reuiuiscat, num me habere dicturus est instrumenta seruitutis & Reges? *Præclarè nimirùm mecum agitur, quòd non illis temporibus natus sim, cùm eò procedebat crimen Maiestatis, vt capitale fuerit Saluio Cocceiano, seruis suis nomina Magonis & Annibalis indidisse. Ego verò, quod me apud non iniquos*

iudices abſoluet, Regem non feci, ſed inueni; quem exaugurare, & paternis Titulis exuere hoc demùm non ferendæ ſuperbiæ fuiſſet. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI SILHONIO S. P. D.

NON *hora mihi est, Silhoni amicissime, à dolore immunis. Si febris aliquantulùm remittit, hostes continuò insurgunt, & vt ait de excidio Troiano summus Poëtarum,* tenent Danai quà deficit ignis. *Sic tamen ego tecum sentio. Tanti erat vnum à tot hostibus peti. Tot subeundæ tempestates, tot labores exhauriendi erant, vt me probarem tibi, & in Philosophiæ Castris rudimenta militiæ ponerem. Hoc olim Socratis, hoc ipsius Philosophiæ fatum fuit, ad cuius imminuendam dignitatem scis quid effutierit veteris Comœdiæ licentia, quidque ausi sint intemperantissimæ linguæ seculorum omnium Nebulones. Nos, Silhoni, non sumus tàm delicatæ innocentiæ,*

centiæ, & animo ita tenero ac molli ad accipiendas offensiones, vt nulla iniuria nobis non magna videatur. Si fortiter agere negatum est, hominibus vmbræ & lenioribus studiis assuetis, fortiter saltem patiamur, eâque animi firmitate cuncta excipiamus coniuratæ multitudinis tela, vt non plus nobis Fortuna de nostrâ dignitate, quàm nos Fortunæ videamur de ipsius iure detraxisse. In re malâ, vt apud Comicum est, animo vtamur bono, & Tertullianum, non Romanâ quidem, sed suâ linguâ disertum audiamus, monentem nos, ne patientia maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat. *Missis igitur friuolis, Tertullianum illum, quem laudo, cuiusque ferrum & lapides non semel vnà exosculati sumus, gratulare nouam hanc felicitatem Reipublicæ Literariæ, alterum iam & illustriorem multò habemus. Hactenus vix plura eius membra quàm vulnera erant, malèque adeò ab imperitis seculis fuerat acceptus, vt maiore sui parte non viueret. Nunc operâ viri magni, & ope legitimorum codicum, quàm emendatissimo vtemur, Authorque obscurißimus, suis tantùm, non alienis etiam tenebris operietur. Licebit hominis mentem, quantumuis abstrusam & reconditam, lectoribus non incuriosis eruere,*

plurimaque, quæ Mysteria antea credebantur, iam nec initiatis patebunt. Apud me est, munere viri magni, noua hæc Editio, & cùm voles, Silhoni, apud te erit. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI SILHONIO S. P. D.

COLLETETI, quos misisti, legi amatorios, sed pudicissimos versus. Acres, ne viuam, & erectos, plenosque, tunc etiam cùm induit teneriores affectus, non insipidæ suauitatis. Hortos Regios, ab eodem descriptos, æstimo supra pensiles Semiramidis, & Alcinoï pomaria, & omnes Tiburtinas Tusculanasque delicias; Nec falsò auguror principem illum Terrarum angulum, suis iam sat florentem opibus, clarissimæ vocis præconio etiam futurum ornatiorem. Viuere apud Illustrissimum Cospeanum mei memoriam absentis, quid ni ego seriò triumphem, mi Silhoni? Virum nominasti Antiquis parem; cuius excellenti virtute sanctissimisque moribus, nostrum hoc æuum, omnium vi-

tiorum maculis notatißimum, Posteritati aliquâ ex parte purgabitur. Facit equidem grauißimo suo testimonio, vt nos aliquid esse videamur, eaque est de singulari ipsius iudicio apud omnes homines opinio, vt quem ille laude cohonestet suâ, de eo non possit nisi honorificè & amplè iudicari. Tu mihi gratißimum feceris, si optimo & amantißimo parenti, ita enim à me appellari amat, salutem meo nomine plurimam dixeris, eique asseueraueris conceptißimis verbis, neminem esse mortalium, cui vt plus, ita libentiùs debeam. Ogerium celeberrimo omnium Ordinum concursu, frequentes ad Populum conciones habere, & de rebus diuinis disputare grauiter & magnificè, ego sanè non miror. Orationem hominis noui, succi plenam, & virili quâdam præditam virtute, quæque non aures præteruehatur, sed in animis penitùs insidat auditorum. Ingenium verè in numerato habet, sed ingenium igneum, & concitatißimæ sublimitatis. Cùm Latinis literis est, tùm etiam Græcis apprimè eruditus, mirabilemque sibi è mediâ Philosophiâ, atque ex omni Antiquitate, rerum supellectilem comparauit. Quin ergo magnam de se famam opinionemque facturus sit, nullus dubito, plurisque semper sit apud æquos æstimatores vnus ille patronus meus, quàm sexcenti Phylarchi, mei hostes. Non carebunt diu-

tiùs debito præmio, vigiliæ optimi & diſertiſsimi viri, ſed certè, quod vnicum illi crimen eſt, nimio mei amore laborantis. Vide & tu, Silhoni diſertiſſime, nè tibi tale etiam aliquid obijciatur, fraudique ſit liberalitas illa tua, quâ amico homini paulò cumulatiore menſurâ laudes ſuas admetitus es. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS NICOLAO SENNÆO ECCLESIASTÆ S. P. D.

ALTVM hîc vt apud vos, Sennæe, de rebus Belgicis silentium. Ab Exercitu non modò literarum, sed ne rumoris quidem quicquam effluit; adeò omnes aditus occupati interclusique sunt, vt nè ipse Dædalus tutò in Galliam aduolare possit. Scire iam quas partes Belgæ in Fabulâ agant, quantæ diuinationis esset? Mihi non tantùm assumo, vt pro certo aliquid affirmem. Sed si homines ingenuos tædium capit fœdissimæ seruitutis, à Liberatore stabunt suo, eruntque egregiè erga nos animati, quos pia tantùm bella suscipere, & esse constat durissimis suis Dominis, non nomini suo infensos. Quoquo modo res successura sit, nil, Sennæe, in summo

*Principe diuinius, quàm iuuare vltrò mortales, & obuiam ire alienæ calamitati. In quo si illum maius aliquid molientem Fortuna deficiat, nec fortissimum consilium, quàm honestum est, tam futurum sit & felix, consolabitur ipse se aggressione pulcherrimi operis, laudisque plurimùm impetrabit à non ingratâ Posteritate. Dignus certè à nobis semper habebitur, qui Oracula Gentibus reddat; qui Sociis iura distribuat; qui afflictas non vnius Reipublicæ fortunas in integrum restituat; in cuius denique confugiat sinum, vbicumque laborat & concussus est Orbis terrarum. Iuuenem patrio regno extorrem, & deformatum ærumnis, qui viuus vidensque funeri suo interfuit, animum recepisse quid * * * Florente & inuidendâ omnibus pace frueretur, si abstinuisset à non necessario bello: Sed quæ facillima & tutissima erat, quietem præstare non potuit, spectatorque regiorum certaminum, publicæ fortunæ euentum, sine vllo discrimine rerum suarum, operiri. Ita iam de perditâ naue ne tabulam quidem naufragus habet, grauissimasque dat pœnas temerè suscepti consilij, & discit aliquantò seriùs, potentissimi Regis maiestatem comiter esse obseruandam. Nosti illa Sallustiana,* Alieni appetens, sui profusus. Vastus animus immoderata, immodica semper cupie-

bat, &c. *Libellum quem mitto, lege & cenſe Catonianâ ſeueritate. Scio tamen quantùm me diligas, quamque ſoleas eſſe libellorum meorum non æquus modò æſtimator, ſed etiam benignus prolixuſque laudator. Vale.*

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS NICOLAO SENNÆO ECCLESIASTÆ.

S. P. D.

NON vnum Bodinum infenso fuisse in Plutarchum nostrum animo, & scio & indignor, Sennæe. Superioris sæculi Itali, penes quos, vt vulgo creditur, fuit Imperium litterarum, iniquiùs de tanto viro etiam iudicauere. Græcorum quidem omnium, qui post fractas à Philippo & Alexandro Greciæ opes fuere, Strabone excepto, probandum maximè aiunt, sed non in omnibus suis scriptis. Quæ enim de virtutibus, de hominum moribus, de disciplinâ ciuitatum, de Imperio, de re militari disputat, tot præceptis confusa esse, vt ad ea distinguenda altero

ferè Plutarcho auctore opus sit, atque ita multas habere obscurasque sententias, vix vt intelligantur, ac propterea difficile admodùm videri ex eorum lectione cultiorem instituere vitam. Genus autem orationis, quod ad hæc ipsa tractanda adhibuit, exile, aridum, minutum, & aliquando inflatum esse; nonnihil etiam asperum & submorosum, cùm æquabile & temperatum esse deberet, sitque hoc genus ad docendum præcipuè aptum. Ostendere tamen illa omnia auctorem suum ita mirabiliter moratum fuisse, vt voluerit rectas artes & excellentem rerum scientiam, non ostentationem sui profectus esse, sed vitæ & omnium suarum actionum legem. Alterum iam scriptorum genus in manibus versari (addunt Critici Itali) quo ritus, mores, instituta Græcæ Latinæque Gētis, & insignium virorum res gestas consiliáque, & Fortunæ vicissitudines exponit. Opus varietate suâ amœnissimum, maximâque dignissimum laude. Sed illud planè maiore etiam laude dignum facere, excidium vrbis Romæ, & disturbationem municipiorum Italiæ, aliasque Maiorum suorum calamitates. Cùm enim Plutarchus illud ipsum Græcis potissimùm suis scripsisset, ad vtilitatem etiam Latinorum hominum nonnihil pertinere cœpisse, postquàm Roma Imperium

amisit, & Bibliotheca combusta sunt, & in ruinis euersa, atque afflicta Italia infelices Itali vixerunt. Hos enim, cum inopiâ eorum Auctorum premerentur, à quibus res Romanas mutuatus esset Plutarchus, ad illius Graeci Commentarios necessariò confugisse. Fusiorem tamen horũ librorum orationem esse, & multò redundantiorem ampliorem que, quàm lex componendæ historiæ patiatur, in quâ nihil est purâ & illustri breuitate iucundius. Omninò igitur illum videri grandem quendam & penè Tragicum Historicum. Atque sic statuendum, ex tribus illis rebus quas in Oratore spectandas censet Platonicus Socrates, Naturam, multarum rerum Disciplinam, & Exercitationem, præcipuam Plutarcho defuisse Naturam, duas reliquas superfuisse, in primisque multarum rerum Disciplinam, quam studiis suis eatenus persequi debent viri humaniores, quoad Eloquentiam illustret, non autem obscuret & obruat. Rem dirimere tantam, Sennæe, & de Reo summæ apud omnes populos gratiæ pronuntiare, non est meum; & fuisse equidem miror proiectæ adeò audaciæ nouum hominem, qui ei, de cuius laude consentiens esset humani generis opinio, voluerit status controuersiam mouere. Dictus fuit olim à popularibus suis ἡ φιλοσοφίας ἁπάσης ἀφροδίτη καὶ λύρα.

nec ita pridem à viro incomparabili, prudentiæ theſaurus, compendium ſcientiæ, mare antiquitatum vtriuſque Gentis, & diuinus quidam promicondus. Qui ad plebem vſque & gynæcea ſapientiam deducat; cuius ciuilibus moralibuſque monitis non magis poſſimus quàm communi hoc aëre carere. *Verùm ſunt, Sennæ, ſubagreſti ingenio homines, qui nauſeant ad Principum virorum delicias,*

Et vt putentur ſapere, Cælum vituperant.

Nulla præſens eſt Virtus, nulla memoria Virtutis, quæ tuta ſit ab iniuriis inuidorum Mortalium, & ſanctiſſima quæque inueniunt & inuenêre ſacrilegos. Tu qui rerum diuinarum humanarumque ſcientiâ polles, & eam multâ cum laude profiteris, quique perpetuus fuiſti Philoſophi nobiliſſimi propugnator, tueberis fortiter, vt ſoles, amores tuos, docebiſque nos, cùm primùm tibi vacauerit, longiſſimè abeſſe à vero Italos Accuſatores. Vale.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI MORICETO.

S. P. D.

TV certè testis es tam inauditæ rei, & fidem appello oculorum tuorum, mi Moricete. Cùm nuper Lutetiæ ageres, legisti non semel superbam Tumuli inscriptionem, de qua Thibalderius noster, cùm hîc vnâ essemus, an esset, aut ita vt dicebas esset, dubitare videbatur. Ea tamen, sic te auctore credidimus, & conspicuo Templi in loco posita, & aureis in ære insculpta litteris, curiosos quosque ad sui lectionem alliciens, modò risum tibi, modò stomachum mouit, miratusque es profanam Laruæ licentiam, & Phylarchi fastum Phylarcho ipsi superstitem. Etiamnum importunus Obtrectator modestiæ in-

ſultat meæ, mortaliſque atque iam mortuus exercet inimicitias immortales.

Ergo & adhuc metuẽdus erat? Cinis ipſeſepulti
In caput hoc ſæuit: Tumulo quoque ſenſimus
hoſtem.

Vbi Aſylum ſperatur ab Improbis, & venia Hoſtibus datur, ibi bonus ciuis ruinam & perniciem inuenit. Etiam in Capitolio, vt ille ait, fulminantem peierant Iouem. Etiam inter aras & ſanctiſſimas religiones locus erit fraudi & calumniæ? Nouum crimen, Patres conſcripti, Agor illic reus violatæ nobiliſſimæ Virginis, imò Deæ longè maximæ, & quæ vulgo audit Regina rerum humanarum; Pitho *vocant Superi, dicitur ab hominibus* Eloquentia; *cuius ſe Patronum, Aſſertorem, Vindicem ibidem gloriatur beatæ memoriæ Princeps. Egóne indice & delatore Aduerſario causâ cadam? Ego Adulter & Corruptor contaminaſſe rem omnium puriſſimam; vitium obtuliſſe credar caſtiſſimæ & formoſiſſimæ Virginum? Ego fiam fabula, mi Moricete, vt* intactæ tentator Orion Dianæ, *vt tot famoſi alienæ pudicitiæ expugnatores? Noſti morbum humani generis, & falſis ſæpe prodigiis conciliatam ambitu & factione auctoritatem. Credulitas, ne quid dicam grauius, in boni cuiuſque ani-*

mum facillimè irrepit, & cùm narrantur magna ſcelera, ipſa quandoque magnitudine fidem faciunt. Viderunt inſuper Accuſatores noſtri, infeſtis Virtuti temporibus, multos mortales indictâ causâ damnatos eſſe. Quid ni inter hos & ego numerarer? Si ſolent mentiri Epitaphia, atque imponere poſteritati, quidni fallere præſentes poßint, & periculum creare homini innocenti? Ita de toto hoc negotio Phylarchiani iudicabant. Nec olim Decemuir Appius Claudius, fabuloſa ſæcula iam non loquor, nec Tarquinius ipſe, ob ſtuprum oblatum Lucretiæ, maiori odio laborauit, quàm illud futurum erat quod ſe conflaturos nomini putabant meo. Verùm aliter cecidit res atque opinati ſunt. Quàm longè humanæ cogitationes à propoſito ſibi ſcopo aberrant! Abiit in fumos tempeſtas illa atrox, quæ ſubeunda fuiſſet mihi, ſi nouus iſte in Republica litteraria Brutus, facilem, vt anteà, populum habuiſſet. Non modò à Crimine, ſed etiam à conſcientiæ ſuſpicione, quæ innocentiæ confidentia eſt, abeſſe me audacter affirmare poſſum, Crimenque ipſum affictum nobis ſatis ſuperquè diluerunt lectæ in Rambuletianis & Thuanis ædibus Apologiæ, de quarum editione haud amplius cogitabam, cùm primùm de Epitaphio audiui. Eas nunc à me aſsiduis propè conuitiis

efflagitant clarißimi aliquot amici mei, in primisque sacri Senatus ornamentum, Heros Bentiuolus, cuius humanissimi Principis ac de me optimè meriti voluntati morem gerere, mihi tandem aliquando constitutum est. Dabuntur igitur propediem ludi gladiatorij, in gratiam Eminentissimi Spectatoris: Incruenti illi quidem, ne parùm digni sint oculis Christianis; in quibus tamen animosè & acriter se pugnaturum Amyntas tuus pollicitus est. Hoc te pluribus docebit ad amplissimum Maussacum Carmen, *cui titulus CRVDELIS VMBRA, de quo tuum & amici tui iudicium expecto. De* Christo *item* Victore, *fac quæso sciam quid sentiat, & an neget semper fastidiosus ille homo, & anxiæ nimium Latinitatis affectator, posse res sacras Latinè ornatèque perscribi. Non id à me perfectum esse ausim dicere; Eius tamen rei credimus nos simulachrum aliquod & adumbratam imitationem in illo poëmatio dedisse. Vale, mi Moricete, & me ama tui studiosissimum. R. Abbati, patruo tuo, amico meo singulari, plurimam quæso à me salutem, & magnas pro exquisitissimo munere gratias, sed quæ arte tua, & eloquentiæ tuæ luminibus, maiores & gratiores fiant. Iterum vale.*

IOANNES

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS CAROLO DALLOO THIBALDERIO.

S. P. D.

NIHIL tam asperum, tam exile est, quod non mitescat atque exornetur oratione. Ne dubita tu, mi Carole, neque amplius sordes & pauperiem nostram nobis obiiciat delicatus Vicinus tuus. Non nitoris solùm & pulchritudinis patiens est, vt loqui amat, doctrina Christiana: Pompam etiam & ornatum admittit; etiam Musarum lenocinia & poëticas amœnitates. Audisti nuper cùm hîc esses, orationem disertissimam quam de Diuo Stephano habuit doctissimus & subtilissimus Februarius. Audisti nobilem illum locum Historiæ Christianæ, Ecce video Cœlos apertos & filium ho-

minis ſtantem à dextris Dei. Poſitis autem genibus clamauit voce magna, Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, & cùm hoc dixiſſet, obdormiuit. *Audi nunc eadem, ſi placet, expreſſa numeris Virgilianis, ex recenſione BalZaciana,*

Ille autem placido ſuſtollens lumina vultu,
Luſtrabatque oculis Cœlum, intrepiduſque pericli
Laudabat Superos, & ſpe ſua damna leuabat:
Cui ſe, quantus erat, manifeſta in luce videndum
Ipſe pater Diuûm dederat cum compare Nato,
Sublimis, medióque illi fulgebat Olympo.
Quin etiam extremo cùm iam ſub fine laborum,
Saxorum nimbis & tempeſtate cruenta
Obrutus, & vix ora mouens, & ſanguine multo
Formoſos oculos, faciem fœdatus honeſtam,
Iret iter propiùs leti, tamen hoſtibus ipſis
Pro ſcelere immani moriens, pro talibus auſis,
Ah veniam Superos, anima fugiente, rogabat:
Placabat Superos hoſti iam frigida lingua, &c.

Riſit Delicatus tuus quòd aliquis è ſeuerioribus noſtris Philoſophis dixerat, In vrbibus benè Catholicis ſonari Aue Maria manè & veſperè, &

tam ſanctum nomen debere ſemper eſſe in ore Fidelium. *Riſit ille non omninò iniuſtiſſimè, nec nobis adeò aduerſantibus, pingui ſatis Minerua enunciatam ſententiam. Sed tuam fidem, Carole, rideret-ne, niſi ipſe ridiculus, & dignus omnibus cachinnis, ſi religioſum hunc morem, vſurpatum in vniuerſo ferè orbe Chriſtiano, expreſſum legeret his verſibus, ad Beatiſſimam Virginem Deiparam?*

Vt primùm fari incipiunt, te nomine iuſſi
Compellant, primáque ſonant te voce Minores.
Omnis vbique tuis indulget laudibus ætas;
Plebſque Patreſque ſimul: Totæ de Turribus Vrbes
Te, veniente die, te, decedente, ſalutant.

Plura eiuſdem generis habemus, quæ ſi non faciunt ad Delicati tui palatum, næ inſipidi & inſulſi palati homo eſt. O ingenia Gallica, nimiùm ſibi indulgentia; nimio ſui amore corrupta; rerum etiam optimarum & ſanctiſſimarum faſtidio laborantia! O cæcam & præcipitem audaciam temerè iudicantium! Aliter olim Thuano, aliter Peronio videbatur. Nos quoque in ea ſimus ſententia, & ſequamur Maiorum noſtrorum mode-

ſtiam. Pugnemus fortiter pro Chriſtianis Sacris; pro Maieſtate Litterarum ſacrarum; natiuâ illâ, ingenuâ, inaffectatâ Maieſtate. De his enim Ouidiana verba interpolare nobis ſic licet,

Hîc bene conueniunt & in vna ſede morantur
Maieſtas & Simplicitas.

Vale, præſtantiſsime Thibalderi, & ad nos quàm primùm aduola.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS GVILIELMO GERARDO, DVCI ESPERNONIO A SECRETIS.

S. P. D.

NE me corruptorem putes Tibulliani versiculi, qui in omnibus ferè codicibus ita legitur,

Dum meus assiduo luceat igne focus.

Ecce quæ ad hunc ipsum versiculum annotauit vir summus Iosephus Scaliger. Vetusta, inquit, excerpta huius Poëtæ habent, non assiduo sed exiguo, quæ germana est lectio. Suppetat, inquit, semper foco, quamuis exiguus ignis. Nam illo epitheto indicat tenuitatem suam. Ita Ouidius, paruo calfacit igne focum, & præclarè Statius,

diuesque foco lucente Tibullus; diues, inquit, foco lucente, quamuis exiguo igne.

Martem illum parricidam, *de quo facta à nobis mentio, in oratione ad Christianißimam Annam Augustam, si apud te non est Orpheus, habe hîc ex interpretatione eiusdem quem laudaui modo, Iosephi Scaligeri,*

Magnanime, Impauide, Inuicte atque Asperrime Mauors,
Indomite, Armipotens, Parricida, Impetimure.

Orpheus verò iste, cuius hodiè extant Hymni, Poëta procul dubiò perantiquus. Non est tamen, si credendum Isaco Casaubono, Theologus ille vetustißimus, de quo tam multa Fabulæ, Historiæ, Græci, Barbari, &c. Verba pulcherrima, quis neget, viris principibus memoriter ediscenda, litteris aureis inscribenda in marmoribus ædium Regiarum, verba sunt Marci Antonini Cæsaris, ex oratione ad Senatum, post defectionem Caßianam, referente Vulcatio Gallicano. NEMO, inquit, SENATORVM PVNIATVR. NVLLVS FVNDATVR VIRI NOBILIS SANGVIS. DEPORTATI REDEANT. PROSCRIPTI BO-

NA RECIPIANT. VTINAM POSSEM MORTVOS ETIAM AB INFERIS EXCITARE, &c. ******** *Tu ergo non iam amplius Vasco es, nec Garumnam tuum bibis; & quid in illa luce Parisiensi, in illo Imperij domicilio, tuâ operâ indigeam, quæris à me perhumaniter. Vnum à te peto, mi Gerarde, ille ego qui procul negotiis, forum vito, & superba ciuium potentiorum limina. Aurei sæculi reliquias, ornamenta politioris Lutetiæ, viros omni laude maiores, nobilissimos Puteanos, meo nomine salutes velim, sed nouo aliquo, si potes, & exquisito genere salutationis. De his si omnia summa prædicauero, minùs tamen dixero, quàm pro singulari illorum virtute & infinitis in me meritis,*

Quæ semper-memori gratus sub pectore seruo;
Quæ patriis Nimphis, & patri narro Carentæ.
Iamque adeò carum nomen mihi, Vindelis ora,
Venacique sciunt colles, vallisque Dianæ,
Et quæcumque meis sunt hîc loca cognita Musis.

Nosti tu, Gerarde, Vindelidem illam oram, colles illos Venaci, vallem illam Dianæ, locaque alia Regni mei, quæ ignorauit Ortelius, & quæ frustrà quærant in Tabulis suis Geographicis Cru-

cius & Alemaius nostri. Vale, mi carißime. Mittet tibi Totyla quam petere videris beneficij loco, Epistolam ad Illustrißimum Comitem Moreti, nondum editam. Scripta est quindecim abhinc annis, & scripta Lutetiæ Parisiorum, vbi otium his talibus scribendis vix suppetit. Tunc etiam temporis, meminisse potes, totus eram in contrario scribendi genere, in literis, vt ille ait, illiteratißimis. Exercebant me scilicet paternæ aliquot lites, litigatorum quot sunt quotque fuere timidißimum & imperitißimum.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS PHILIPPO COSPEANO, EPISCOPO ET COMITI LEXOVIENSI.

S. P. D.

HABE hîc ſcripta, quando ita iubes, Philippe Coſpeane, quæ nuper à me dicta ſunt in viridariis Plaſſacianis, quæque ab Heroë Eſpernonio probata eſſe mirum in modum, ſignificabas poſtremis quas ad me dediſti litteris.

Meminiſti Cornelianæ ſententiæ, quæ fons & caput totius diſputationis noſtræ fuit; CONVICIA SPRETA EXOLESCVNT, SI IRASCARE, AGNITA VIDENTVR. Ne ab Apolline quidem Delphico viris

Principibus Oraculum vmquam certius redditum. Qui talia punit, eum mortales dolere atque excruciari iis rebus præcipuè arbitrantur. Eoque plures more ingenii humani, etiam procul à Republica ætatem habentes, è latebris suis & solitudine sua prodeunt, qui idem aut simile audeant, atque hac vna de causa altum suum silentium plerumque rumpere gestiunt. Tantùm abest vt cæteri deterreantur, & tacere discant, infecti iam partium studio, vitam agitantes in rerum illa luce, in illo æstu negotiorum, in ciuitate rumorum auida, in aulicis & popularibus fluctibus. Ita vno punito, mille succrescunt vel Oratores, vel Poëtæ, ingeniaque excitantur, atque exacuuntur in id quod tantoperè sibi interdici vident, & tanta cura, tanta sedulitate coërceri. Contra si ad hæc conniuere Principem, vel non his permoueri vllo modo animaduertant, gignit ipsa licentia atque impunitas satietatem, neque in eo putant sibi magnoperè elaborandum, vbi se contemni sciant, suaque, vt sic loquar, tela, ipso telorum missu, ipsa veste Principis hebetari atque languescere. Nihil siquidem, auctore grauissimo & sanctissimo viro, adeò maledicos mordet, frænatque maledicentiam, quàm illatæ contumeliæ contemptus.

Cui rationi proxima illa est, quod qui in talia inquirit ac sæuit, is animi ieiuni ac timidi manifestus est, simulque alios admonet, quantò magis facta timeat qui dicta sic timet. Quæ timoris opinio tantùm de Principis existimatione detrahit, quantùm contra ei accedit ex magnitudine atque altitudine animi, quæ in harum rerum despicientia elucet. Caussa etiam huiusmodi seueritatis & interdictionis, si Cornelio nostro credimus, in primis est illis ignominiosa & deformis: Nam si malè homines de se loqui non patiuntur, videntur aliquo modo agnoscere esse re vera, quæ sibi meritò obiiciantur ab hominibus: Atque ita magis ipsi sua confessione vapulant, quàm aliorum famosis & scriptionibus & vocibus. Meliùs ergo illi qui hæc contemnentes, ostendunt sese bonæ conscientiæ fidere, nec perturbari rumusculis, contumeliis, calumniis, quas satis coercere, ne erumpant, nullus vmquam potuit, vel Regum potentissimus, vel sæuissimus Tyrannorum. Nunquam verò debent qui aliis dominantur, ea adgredi, quæ vix ac ne vix quidem obtineri possunt; cùm nihil magis minuere soleat auctoritatem summi imperij, quàm orbi Terrarum notum facere, quibus rebus impares sint, qui posse omnia creduntur. Quas res dissimulare pru-

denter, quàm deſerere poſteà irrito conatu, & nil profuturo labore ſe cruciare, ſatius eſſe ſemper duxerim. Eiuſmodi autem res eſt libertatem loquendi ſcribendique adimere conari mortalibus, qui vt palàm non audeant, at certè noctu & clam, libellos ſpargent aut figent, eò cupidiùs & ſtudioſiùs, quò acriùs & ſeueriùs interdictum ſit.

Aliquidne amplius dicendum eſt? Imò verò plura dicenda eſſent, ſed paucis contenti erimus. Cauere & fugere Principes nihil magis oportet, quàm crudelitatis apud Populos opinionem, quæ maturare perniciem ſolet etiam victoribus gentium; etiam Triumphatoribus ſemper-Auguſtis, vt Numi & Marmora eos vocant. Neque dubitandum eſt, quin hæc crudelitatis infamia vel maxime iis concilietur, qui verba tam ſeueris ſuppliciis arguunt. Quòd ſi multi & ſapientiſſimi Principes ne ipſa quidem facta aduerſus ſe vindicanda putauerunt, quò crudelitatis nomen effugerent, quantò magis hæc ratio humanitatis & manſuetudinis ſeruanda eſt aduerſus eos, qui verbis modò & oratione ſæuiunt. Equidem haud facile dictu eſt, quot ſibi inimicos conciliat Princeps, cùm aliquos punit eam ob cauſam, quod de ipſo ſecius locuti ſint aut ſcripſerint. Incipiunt enim ſinguli

ſibi timere, ne aliquid ipſi calamitatis ob id accipiant, tamquam in communi fortuna, eodemque periculo ac linguæ lubrico poſiti. Hinc odium in Principem: Hinc perdendi Principis, ſi qua occaſio detur, libido atque conatus, &c.

Ea tempeſtate cùm Ducis Athenarum Tyrannide Florentina Reſpublica premeretur, præter alia intoleranda hominibus liberis, ingentia quædam vectigalia extrà ordinem iis impoſita ſunt, de quibus cùm liberiùs quidam quereretur, Tyranni iuſſu lingua eſt ei ſtirpitùs exciſa; quo vulnere adeò Ciuium animi exaſperati inflammatique fuerunt, cùm ſimul & agendi & loquendi ſibi libertatem ereptam viderent, vt breuiſſimo tempore tres diuerſæ coniurationes in eum conflatæ ſint, quæ perniciem ei pepererunt. Eo modo Ciues ac Subditi ad extremam deſperationem adducuntur, Et qui ſemel deſperauerunt, ij neque honoris, neque facultatum, neque ſalutis ſuæ, neque alterius rei rationem vllam ducunt. Deſperatis omnia pariter vilia ſunt, nec eos aut Principis maieſtas aut pœnarum ſeueritas deterret, quin omnia audeant & adgrediantur, quantumuis aſpera & prærupta. Si enim adempta ſibi iura, leges, priuilegia; ſi ſe opibus, dignitate, honore ſpoliatos; ſi præterea,

erepta loquendi libertate, quasi elingues & mutos se redditos esse videant, quid non audebunt tot malis, & calamitatibus efferati? Quid non molientur aduersus non iam Principem, sed hostem suum, & parricidam patriæ suæ? Neque locus esse potest terrori aut formidini in illa rerum desperatione; vbi enim nulla spes boni superest, ibi nec mali vllus superest metus.

Selecta hæc ex innumeris inconsultæ seueritatis incommoda. Ista verò inter alias insignis vtilitas, quæ ex virtute ei vitio contraria colligitur. Multis enim cùm sint Principes adsentatoribus perpetuò velut circumsessi, raro sua vitia ipsi cognoscunt, nec ea possunt emendare, adulationibus corrupti, & fortuna sua ebrij: At cognoscerent certè, si hæc libertas scribendi de ipsis & loquendi vulgò permitteretur. Atque illud est quod magnus olim Princeps dicere solebat, magnam se gratiam debere Atheniensi populo, cuius procacitate verborum melior esset cùm moribus tùm lingua redditus. Neque minorem Principem, quamuis non ita antiquum accepimus, (is fuit Franciscus noster Engolismensis) tacitè, libenterque etiam ferre solitum, se præcipuosque Regni sui proceres, quorum ipse operâ consiliisque vtebatur, in Fabulis &

Comediis publicis rodi & configi maledictis; tectè id quidem & inuolutè, sed tamen vt ab omnibus perspiceretur. Magna enimuerò & præcipua vtilitas in hac modestia & patientia Principum, cùm licentiâ loquendi Ciuibus concessâ, Ciuium animi nudentur, patefiant consilia, prodantur & eiiciantur foras ipsi primi motus & ipsa semina cupiditatum. Quid in Reipublicæ administratione probetur, quid improbetur, quæ Ministrorum & Magistratuum vitia facta-ue inuidiam Principi concilient, quæ remedia malis publicis priuatisue homines desiderent ac flagitent, omnia per hanc loquendi libertatem intelliguntur, quod nemo sanus neget vtilissimum Principi esse. Nam quemadmodum in corporibus iij morbi difficillimè curantur, qui latent, falluntque intus inclusi; sic in ciuitate atque in imperio, sunt illa grauissima perniciosissimaque odia, quæ cæca atque occulta sunt. Et non aliud respexisse summos quosdam viros ac duces existimandum est, quos in Historiis legimus, veste mutatâ, nullo conscio, atque ignoratos omnibus, per vrbem vel castra vagatos esse, vt hominum sermones de se ipsi audirent, & certiores fierent de rerum statu, de inclinatione animorum, &c.

Quibus atque aliis causis permotus (vt tandem ad illustria exempla & magna nomina veniamus) Patrum nostrorum memoria Laurentius Medices, cùm audiret multos esse qui de ipso malè loquerentur, eamque ob rem ad vindictam ab amicis impelleretur, hoc responso amicorum elusit sententiam, & impetum repressit, IPSI LOQVENTVR, NOS FACIEMVS. Intelligebat *quippe vir sapientissimus non conuenire, quibus libertatem agendi ademisset, eis etiam loquendi velle adimere; sed cùm ipse quæ vellet ageret, permittendum esse aliis iudicabat, vt quæ vellent loquerentur.*

Dedere non ita multò post prudentissimi aliqui viri haud absimile consilium Hadriano Pontifici Maximo, qui grauissimè tulerat se famosis carminibus apud Pasquini statuam fuisse laniatum. Contumelias *enim illas, tali consilio mutatus, ciuili animo tulisse fertur, cùm didicisset eam maledicendi licentiam obscurorum hominum libertati atque nequitiæ concedi, vt quum insignes viros impunè carpserint, fortunæ suæ iniquitatem ea vindictæ voluptate consolentur. Decreuerat pri mò rudis regnandi Princeps, simplicique & antiquo Batauorum ingenio præditus, nobilem illam Pasquini statuam,*

tuam, quæ erat in Parione, demoliri, atque eam in Tiberim præcipitare. Sed Ludouicus Suessanus, Cæsaris tunc Romæ legatus, vrbano salsoque ingenio, id fieri debere pernegauit, adiiciens Pasquinum vel in imo vado, ranarum more non esse taciturum. Ad id verò Pontifex: Exuratur ergo, inquit, in calcem, ne eius vestigij vlla omninò memoria supersit. Tum rursus Suessanus, Rectè, ait, sed tam crudeliter concremato Poëtæ clientes non deerunt, qui patroni sui cineres inuidiosis carminibus prosequantur, & supplicij locum quotannis statuto solenni die concelebrent. Quibus verborum lusibus Pontifex ad hilaritatem & iocos traductus, ab incepto destitit, Pasquinumque conseruauit.

Sed qui Hadriano successit, Clemens eius nominis septimus, maioris multo & illustrioris moderationis, animi, aut potius veræ & antiquæ magnanimitatis exemplum dedit. Cùm enim, Marcus Antonius Casanoua, Columnæ familiæ alumnus, in gratiam Pompeij Cardinalis, tanti Pontificis famam intemperantissimè violasset, Clemens seipso & desumpto nomine maior atque augustior, reo maiestatis, captoque ad supplicium, facilè pepercit, præclara Caij Iulij Cæsaris imitatione,

qui Catulliani dentis letale virus & liuidam libertatem (verba sunt florentissimi illorum temporum Scriptoris) generosâ dissimulatione contempserat.

Verùm commodè se hîc atque vltrò obtulit nobis Iulij Cæsaris mentio, cui nemo in hac parte, vt in aliis multis, comparandus est. Is non voces modò infamiæ & probri plenas in se, æquißimo tulit animo, sed etiam contumeliosißimos Cai Calui & Valerij Catulli de Mamurra versus, quibus æterna sibi stigmata imposita non dißimulabat, cùm facile vlcisci posset, adeò non reprehendit, vt alterum sibi satisfacere cupientem, ipse prior eum litteris humanißimis compellarit; alterum, Catullum nempe, eodem die ad cœnam vocauerit, patrisque eius hospitio, vt ante, vti perseuerauerit. Aulo autem Cæcinæ, quo non solùm armis ciuili bello acerrimè pertinacißimèque oppugnatus fuerat, sed etiam criminosißimo libro vehementißimè laceratus, incredibili moderatione victor ignouit, tametsi erat Cæsar causæ Africanæ, quam ille fouerat, iratißimus. Idem acerbè de se loquentibus satis habuit pro concione denunciare, NE PERSEVERARENT. Marco etiam Tullio, qui commentarium confecerat laudum Cato-

nis, idem ipſe Cæſar alio commentario reſpondit, quo vitia Catonis colligere contentus, probabat illum immeritò laudari. Nihil quicquam grauius atque aſperius tentauit, quamuis capitali odio diſſenſiſſet ab laudato, & non multùm amaret laudatorem; tamque exquiſitum laudandi genus, alienoque adeò tempore conſcriptam exornationem, in ſui dedecus & contumeliam facilè interpretaretur.

Patrem imitatus eſt Auguſtus, quo vt non maior quiſquam Princeps ab hominibus natis Imperiiſque conditis, ita nec moderatior fuit. Hîc cùm omnium gentium dominus eſſet, ſæpe hæc tela linguarum in ſe fixa ſenſit, ſed ſemper aut diſsimulauit aut contempſit; Veluti in notiſsimo illo Epigrammate, de bello Sicilienſi, aduerſus Sextum Pompeium Marci filium: & in illo, quo ſecretæ & infames cœnæ exprobratæ ei fuerunt, in quibus ſoleret conuiuas habitu & nominibus duodecim Deorum iubere diſcumbere, ipſe Apollinis forma atque inſignibus ornatus; Nec tamen vllam vnquam vindictam in authores, etiam compertos, exercuiſſe legitur. Idem ille in Timagene, nobili Hiſtoriarum ſcriptore, vſque ad miraculum patientiam oſtendit ſuam; plus enim tale exem-

plum mihi videtur habere admirationis quàm fidei. Multa in ipsum, etiam in vxorem, in filiam & familiam eius dixerat Timagenes: Atque ea vt arguta, & ab homine docto & celebri, excipiebantur vulgò, & circumferebantur. Augustus tamen nihil nisi monuit eum, vt modestiùs ingenio & lingua vteretur, idque in domo sua, nam & eum alebat Augustus. Sed cùm nec sic desineret, tandem domo ei sua interdixit. Fuit tamen qui, velut in inuidiam Augusti, hominem exciperet, & is fuit amicus præcipuus Augusti & interioris admißionis, Asinius Pollio; nec ideò desiit esse amicus præcipuus & interioris admißionis. Fouit Timagenem, & eius exemplo alij. Visitur, colitur Timagenes, publicus iam Augusti hostis, & obtrectator domus Augustæ; qui tunc, tamquam professas inimicitias cum Cæsare gereret, libros Historiarum de rebus eius scriptos combußit, & combußisse gloriatus est: Tulit & hæc Cæsar patienter, vt alia tulerat. Tantùm Pollioni, voce vsus Græca, semel dixit, Serpentem nutris. *Et paranti excusationem, pollicentique se hominem exclusurum, si iussisset, obstitit indulgentißimus Princeps, addiditque,* Fruere, mi Pollio, Fruere. *Hæc aliaque huiusmodi suo ingenio Augustum fecisse credendum*

eſt, tum admonitu Cilnij Mecenatis, Heroïs, vt ſcis, noſtri, cuius extat hac de re abſolutiſſimum ciuilis prudentiæ ſimulachrum, apud Dionem, libro quinquageſimo ſecundo Hiſtoriarum.

Si quis, inquit, conuitium tibi fecerit, neque deferente Accuſatore audire, neque probatum etiam manifeſtumque vlciſci debes. Turpe enim fuerit te credere, repertum aliquem mortalium, qui te lædentem neminem, imò omnibus facientem benè, ignominia affecerit. Non in ea ſit opinione genus humanum, inueniri poſſe qui in te contumelioſus eſſe auſit, & iam idem de Octauio, quod de Diis immortalibus iudicetur, illum ſcilicet eſſe inter res Sacro-ſanctas, & quæ ab hominibus coli debeant. Qui aliter faciunt mali Principes, ex conſcientia ſua veritatem alienorum dictorum colligunt. Et profectò iniquum eſt ea ægrè ferre, quæ ſi vera ſunt, non admiſiſſe, ſin falſa, diſſimulare præſtat, cùm multi hæc vindicantes, pluribus ac grauioribus de ſe ſermonibus occaſionem præbuerint.

Hæc noſter Mecenas ad Auguſtum. De quo etiam apud Suetonium legimus, morem illum vel potius licentiam, quâ teſtatores vti in teſtamentis ſuis conſueuiſſent, tolli atque interdici noluiſſe.

Atque hoc is fecit, & maledicta in se iacta tulit, qui in alios non tulit, vtpote qui primus, sed imitatione (vt putat doctissimus Iurisconsultus) Lucij Sullæ, quæstionem de famosis libellis specie Maiestatis exercuit, offensus Cassij Seueri libidine, qui omnes illustriores vtriusque sexus, procacissimis carminibus diffamauerat.

Ad eius exemplum, qui eius nomini & imperio successit, Princeps aliàs dissimillimus, conuitia & probra fœdissima in se coniecta, nec verbis modò, sed & scriptis carminibusque procacissimis, sæpè tulit moderatißimè atque contempsit; adeò quidem, vt etiam Senatui, vehementer roganti, vt in auctores tam atrocium libellorum atque sermonum inquiri atque animaduerti vellet, restiterit, generosâ illâ voce editâ, non sibi tantum otij superesse, vt huiusmodi negotiis sese implicaret. *Adiecit & illud summæ prudentiæ,* Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud efficietis, quàm vt hoc colore dignitatis Principum vindicandæ, vnusquisque priuatas suas inimicitias velatum vltumque eat; nec sapientis Principis esse hanc ianuam ciuibus patefacere, quò malignitatem atque acerbitatem animorum suorum tam inhonesto & perni cioso more exsatient. *Immutauit tamen ipse*

posteà sese. Sed de Tiberio Principe agimus, non de Tiberio Portento.

Inter illos verò Principes Romanos, patientiâ suâ nobiles, Flauius quoque Vespasianus fuit, nec decere Principem existimauit talibus iniuriis commoueri: Quemadmodum re demonstrauit, lacessitus à Saluio Liberale, Demetrioque Cynico, vt alios nunc omittam, qui dictis scriptisque fœdissimis Imperatoriam purpuram inquinauerant; Demetrio quidem non desinenti perpetuo maledicere, significari iussit his verbis, Tu quidem nihil prætermittis vt ego te interfici iubeam; Mihi verò non placet de cane latrante victoria.

Possem & aliorum præstantissimorum omnium gentium & omnis ætatis Principum referre exempla, qui ad has contumelias mitissimi & moderatissimi fuere, qui contempsere Epigrammata, Satyras, famosos libellos, exquisitæ virulentiæ plenos, autoresque eorum cùm non ignorarent, nullam in eos significationem irati animi præbuere. Possem Hieronem commemorare, Syracusanorum regem, cui præsenti ipsi atque audienti multa tetra spurcaque obiecit aliquis, interque ea, etiam olentem oris spiritum, nec tamen eâ contumeliâ commotus est. Possem Pirrhum commemorare, fortissimum

Epirotarum regem, qui censentibus amicis, vt quendam, qui de ipso malè erat locutus, relegaret, non se facturum dixit, ne, inquit, aliò profectus, peiora de me loquatur, & coram pluribus. Possem denique laudare Alexandrum Magnum, qui pari animi magnitudine, cùm obtrectari sibi audisset, Regium esse respondit, benefacere & malè audire: Atque ita, replicatâ sæculorum omnium memoriâ, possem ab Alexandro Magno, ad Henricum vsque Magnum descendere.

In huius Optimi Maximi Principis animo ipsa Diua Clementia sibi sedem & sacrarium mihi videtur elegisse. Hic ille est, fortißimus & moderatißimus Princeps, cui tot coronæ debentur ob ciues seruatos; Imò ob malos ciues seruatos; ob seruatos tot maledicentissimos Theologos, qui illum Diris deuouerant; tot maledicentissimos Iurisconsultos, qui illi status controuersiam mouerant; tot maledicentissimos Poëtas, maledicentissimos Oratores, quorum plerosque ab exilio reuocatos, in aulâ viuere voluit, non tutos solùm & incolumes, verùm etiam florentes & beatos, opibus, honoribus, sacerdotiis auctos atque ornatos. Sed reprimo orationem meam.

Contineo me, vt meum fuerat ab initio consilium,

lium, intra terminos Romani Imperij: Neque ampliùs dicta & voces, ſed Edicta, ſed Leges loquor, de quibus & de Principe, vt de Fatis & de Ioue vſurpari antiquum illud poteſt, SEMEL IVSSIT, SED SEMPER PARET. His enim Legibus ſiue Conſtitutionibus ſibi ipſis Principes tantæ moderationis neceſſitatem impoſuerunt, & ne liberum quidem ſibi eſſe voluerunt; & Principibus poſt ſe venturis, ignoſcere in eo genere peccantibus. Nobiliſsima Conſtitutionum, de qua hîc præcipuè agimus, quæ benigna adeò & mitis eſt, vt propemodum ad oſtentationem clementiæ ſcripta eſſe videatur, illa eſt, quæ à Theodoſio Magno, ſuo & filiorum Arcadij & Honorij nomine, promulgata fuit his verbis.

IMPPP. THEODOSIVS, ARCADIVS ET HONORIVS AAA. RVFINO PRÆFECTO PRÆTORIO.

SI QVIS. MODESTIÆ. NESCIVS. ET. PVDORIS. IGNARVS. IMPROBO. PETVLANTIQVE. MALEDICTO. NOMINA. NOSTRA. CREDIDERIT. LACESSENDA. AC

TEMVLENTIA. TVRBVLENTVS. OBTRECTATOR. TEMPORVM. NOSTRORVM FVERIT. EVM POENÆ. NOLVMVS. SVBIVGARI. NEQVE. DVRVM. ALIQVID. NEC. ASPERVM. VOLVMVS. SVSTINERE. QVONIAM. SI. ID. EX LEVITATE. PROCESSERIT. CONTEMNENDVM. EST. SI. EX. INSANIA. MISERATIONE. DIGNVM. SI. AB. INIVRIA. REMITTENDVM. VNDE. INTEGRIS. OMNIBVS. HOC. AD. NOSTRAM. SCIENTIAM. REFERATVR. VT. EX. PERSONIS. HOMINVM. DICTA. PENSEMVS. ET. VTRVM. PRÆTERMITTI. AN. EXQVIRI. DEBEANT. CENSEAMVS. DAT. VI. ID. AVGVST. CONSTANTINOPOLI. THEODOSIO. A. III. ET ABVNDANTIO COSS.

Hæc Constitutio, quam legere est in Cod. Titul. Si quis Imperatori malè dixerit, *finem fecit disputationi nostræ coram Heroë Espernonio, & bonâ tuâ veniâ, Philippe Cospeane, in eadem Constitutione desinet prolixior iam Epistola, quæ*

tamen, vt vides, breuior esse non potuit. Vale & veni, sed veni quamprimùm, si nos amas; non enim hîc amplius possumus tui desiderium sustinere. Hoc ad te meo ore longæuus Parens, Mater, Soror, Neptis, quicquid est denique Gueziani & Campanoliani nominis.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
DANIELI FERRERIO.

S. P. D.

AMicissime Daniel,

Adsum, atque aduenio Acheronte,

Vt est in antiqua Tragœdia, à qua simile aliquid Tragicus Seneca mutuatus est. Excepere morbum mihi penè fatalem virulenta aliquot Scripta, in contumeliam nostram edita, à Scriptoribus, vt leuissimè dicam, parùm timendis. Si pace, cuius studiosi vsque ad ignauiam fuimus, frui non datur, talia bella, tales semper hostes nobis contingant. Insurgat in nos fæx illa Populi litterati, modò nobis plaudat Equester ordo & Senatus, stentque à partibus nostris ij viri, quorum splendore & dignitate sordes aduersarum partium facilè perstringimus. Displicent libelli mei obscurißimo mortalium, Buboni Geneuensi, neque enim alio mihi nomine

notus eſt: Sed eoſdem libellos meos laudat ſæculi ſui Phœnix, clariſſimus Salmaſius, de quo dixit iampridem Virgilianus Iupiter,

Huic ego nec metas rerum nec tempora pono,
Ingenium ſine fine dedi,

Et nuperimè Mercurius Grotianus, teſte optimo Cordeſio, Si ſit aliquid quod neſciat Salmaſius, id non homini ſed ſcientiæ deeſt. *Improbat nos ille quem ſuperiori anno vidiſti in aula Regis magnæ Britanniæ, minimos etiam apices Scriptorum meorum inauditâ ſubtilitate recenſentem, rogatu, vt aiebat, Comitis Lavalij: Improbat nos inquam pedeſtris ille Eques, Barbarus Italus, Fabuloſus Hiſtoricus, quem litteræ amicorum noſtrorum Londinenſium vocant* Monſur le Chiualier Biondi:

At nos ille probat veteri de ſanguine Regum,
Purpureus Scriptor, proprio ſed clarior oſtro
Bentiuolus, quem culta agnoſcit Roma parentem
Eloquij; defert faſces cui doctior Orbis,
Et Muſæ dicenti atque ipſe aſſurgit Apollo.
Ille æſtus Populorum, arteſque iraſque Philippi,
Sanguineoſque dies, tectumque adamante Gradiuum,

Dum furit ad Scaldim & Mosam Rhenumque bicornem,
Exhibet Italiæ. Ille ardentem in fœdera Gallum,
Et socia arma Angli, Libertatemque Batauam,
Surgentem Oceano, viridesque in littore cunas,
Prima animi rudimenta & primos Virginis ausus,
Infractâque adeò post tot discrimina mẽtem,
Tradit perpetuis ventura in sæcula chartis.
Ille tamen qua voce tubas & cornua vincit
Purpureus Scriptor, proprio sed clarior ostro,
Siluestris tenues calamos cõmendat Amyntæ,
Iuratusque refert vidisse in vallibus istis
Natum aliquid (fremat inuidia & se condat Auerno)
Montibus Ausoniis, & Româ cultius ipsâ.
Sic ego, nec prohibes animæ pars maxima nostræ,
Ferreri, Heroas numero mea castra sequentes,
Obscurisque oppono illustria nomina, sic se
Contemptor vulgi ignaui solatur Amyntas
Quandoque, & fatis contraria fata rependit, &c.

*Et hos inter Heroas numerabitur, mi Daniel, quem paucis [illegible] abhinc diebus hospitem habui, Franciscus Augustus Thuanus, summo auo, summo parente, ne quid amplius dicam, nepos, filius dignissimus. Ab eo multa & egregia accepi de rebus Italicis; de Duce Guisio, Florentinisque deliciis, quibus desiderium Patriæ sibi leuius facit honestissimus exul. Plura mihi dixit de Principis Ioanuillæ, quem boni omnes lugemus, indole mirabili, quantæcumque rei, quantæcumque fortunæ capace, si virtutes eius maturuissent. Sciui per illum quid sentiat de ætate orbis Terrarum confidentissimus Galilæus; quibus iam studiis senectutem oblectet suam** ****. Sed quid non? Absolutissimam veri Principis effigiem expressit mihi vir Principum & ciuilis doctrinæ scientissimus, in Magno qui nunc rerum potitur, Hetruriæ Duce. Medicæam prudentiam, Austriacam altitudinem animi, multa æquitate, singulari modestia temperatam, omnia magna & regia prædicauit, de sapientissimo illo spectatore alienæ insaniæ; furorum Italicorum, Germanicorum, &c. Cùm te videro, amicissime Daniel, magna hæc & regia tibi fusiùs interpretabor. Vale.*

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS IOANNI CAPELANO.

S. P. D.

HAud de more meo, verbis nec vt antè solutis,
Rusticus vrbanum iubeo saluere Sodalem.
Olim me ratio, ducit nunc impetus: At te
Noster amor sine fine petit; seu sobrius ille,
Correptus seu vi insolita, similisque furenti.
Sed Vatis tamen hinc nomen sperare negatum est
Custodi pecorum, maiorque modestia ruris.
Improuisa cadunt pennam si sæpè sub ipsam
Carmina, & iniussi numeri mea verba sequuntur,
Non nobis calor iste, Poli descendit ab arce;
Qualem Naso tener maternis sensit in vlnis,
Hauseruntque alii, per somnia docta, Poëtæ.

Non

Non Cœli ſacer Interpres, & numine plenus,
Sed ſubitus cantor, facilis ſed fundere nugas
Sim tibi. Sublimes Iano decerpere lauros,
Per nos, Iane, licet prærupti in culmine montis,
Et ſine riuali Aonias ambire Sorores.
I ſequere Aureliumque Ducem, quem gloria Martis
Aſcribit Diuûm ordinibus, fortemque Puellam,
Quæ maior mortali, audacibus inclyta factis,
Aſtra petit virtute, tubaſque & cornua centum
Poſtulat in laudes, dignos & Apolline verſus.
I tantæ quò mira vocant te facta Puellæ:
Secretos aperi calles, rumpe aſpera ſaxa;
Obuia me, me plana iuuant, & Apolline nullo,
Atque abſente, mihi naſcantur carmina, Muſa,
Sint modò non ſudanti, & nullo nata labore.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS REVERENDO PATRI, DOMINO ANDREÆ A SANCTO DIONISIO CONGREGATIONIS FVLIENSIS.

S. P. D.

SCIAS me viuere, mi Pater, & quidem beneficio tuo. Ita enim mihi persuaderi facilè passus sum: Cùm reuera meliusculè habere cœperim, & liberiorem spiritum ducere, paucis ante diebus quàm litteræ Aurelianenses, tui erga me amoris nunciæ, huc aduenerint. Tu-ne ergo ille es, celeberrimus & nominatissimus Pater Andreas, quem Vin-

cens Victurus Philarchiani Belli Helenam appellare consueuerat? Tu hostem, vt credebas, mortuum verissimis lachrimis luxisti, amplissimis laudibus prosecutus es? O animi facilitatem inauditam! O non huius sæculi humanitatem! O exemplum antiquæ bonitatis! Optimus, mitissimus, iucundissimus est mortalium, quem non ita pridem, trucibus ardentem oculis, vultu ad terrorem composito, gladiatoriâ totius corporis firmitate, ad nos adfectantem viam, mendax, vt ferè semper, Fama, Poëticis coloribus delineabat. Pater ille Andreas, qui minarum plenus, sanguinem spirare & cædes, denunciare mihi vltima dicebatur,

Pro me vota facit, cumulatque altaria donis:
Conciliat mihi Cœlestes, pulchramque Salutem,
Quam dubia ars hominum falsò sperare iubebat,
Quam frustrà extrema è Terra Pelagoque petebam,
Magna audax tentare, alto deducit Olympo.
Quale mihi munus! Reducis quæ gloria vitæ
Per te erit? Ausonio qualem de more coronam,

Care Pater, tibi ſeruatus debebit Amyntas?
Si Solem videt; æthereâ ſi veſcitur aurâ;
Si tactus Cœli afflatu, tibi carmina fundit,
Hoc memor acceptum referet Cœloque Tibique.

Vale, mi dilectiſſime Pater, & perge fauere beneficiis tuis.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
MARCO ANTONIO
MOLSÆ.
S. P. D.

V*IVAT felix, de quo ad me ſcripſiſti, Terræ filius. Fruatur felicitate ſua; Sed non inuideat nobis dolorem noſtrum.* Sine me amare Mortuos meos, *dicebat ille olim, ſibenè memini, in Controuerſiis Marci Annæi Senecæ. Neque verò nouum & inſolens, aut etiam ridiculum, vt Terræ filio videbatur, quod poſtulat ab æquitate regia nobiliſſimus Comes. Si enim bona fama, ita cenſente Ariſtotele, Mortuorum propria, imò vnica poſeſsio eſt; cùm malis temporibus de illa poſeſsione per vim & iniuriam deiecti ſunt, quidni in integrum reſtituantur, poſtquam meliora tempora ſuperue-*

nere? Quidni habeant à grata posteritate quicquid illis reddere potest & officij & pietatis? Restitui autem post mortem atque conseruari memoriam & bonam famam, ignorare non potest nisi in Historia hospes. De conseruata testatur vetus Inscriptio hæc Romæ. M. ANNÆO. LVCANO. CORDVBENSI. POETÆ. BENEFICIO. NERONIS. CÆSARIS. FAMA. SERVATA. *Restituta verò Senatusconsulto fuit* MARCO ANTONIO ANTIO LVPO PRÆT. CVIVS MEMORIA PER VIM OPPRESSI IN INTEGRVM SECVNDVM AMPLISSIMI ORDINIS CONSVLTVM RESTITVTA EST, *vt sunt verba sepulchro eius inscripta, quæ legere est in antiquis Inscriptionibus. Atque huc etiam pertinet illa Senatus Romani adclamatio, apud Lampridium, in Commodo.* MEMORIÆ INNOCENTIVM SERVENTVR. HONORES INNOCENTIVM RESTITVAS, &c. *Sub Imperatoribus Christianis memoria Ioannis Chrysostomi, autore Proclo Episcopo, post triginta annos restituta est, corpore eius quod Comanis sepultum esse dicebatur, Constantinopolim cum summis honoribus relato. Et contra*

memoria Origenis post ducentos demum annos, damnata fuit, opera Theophili Episcopi Alexandrini, teste Socrate libro septimo Historiæ Ecclesiasticæ, capite XLV. *Si hæc & similia respondeas Terræ filio, non ampliùs fortè in re seria iocari volet, & desinet pietatem nobilissimi Comitis irridere. Sed quid facias pecudibus istis aureis? Nil iniustius est, Marce Antoni, nil superbius diuite imperito. Vale.*

Descriptio tua Occitaniæ vestræ, Pictonibus nostris venustissima & floridissima visa est: Atque adeò mihi in mentem reuocauit versus illos Homericos, de Phæacum patria, quos sic Latinos fecit Poëta non omnium pessimus. Nomen de industria taceo, exercere enim volo, mi Molsa, facultatem animi tui diuinatricem.

Hîc nemora in Cœlum latè crescentia surgunt,
Punicei pomum grani, malumque, pirumque,
Et dulces ficus, & sanctæ Palladis arbor.
Non illis Borealis hyems, non officit æstas
Torrida: Sed placidas Zephyris spirantibus auras,
Arboribus totum superat fœtura per annum,
Et pomo insenuere recentia poma priori,
Et noua iam miti superaduenit vua racemo.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS PHILIPPO COSPEANO EPISCOPO ET COMITI LEXOVIENSI.

S. P. D.

AGAM tecum vetere formulâ quam didici à Tribunis Prætorianarum cohortium, FACTVM EST DOMINE, QVOD IMPERASTI. Tuo iussu chartæ meæ accuratiùs inspectæ sunt, atque ita se habet historia illa (de qua olim aliquid inaudiueras) Colaphi ab orbe condito nobilissimi, vel potius vindictæ de Colapho sumptæ longè omnium illustrissimæ.

Megolus Lercarius, Ciuis Genuensis, nobili & peruetusto genere ortus, nouo atque haud scio an

an vnico incredibilis audaciæ & fortitudinis edito facinore, virtutem priuatorum hominum, ipsis etiam Regibus & summis Principibus verendam & formidolosam fecit. Quippe quos docuerit aperta quoque vi, armisque vltrò inferendis, iniuriarum & contemptus sui interdùm vindices esse posse. Is enim inter Aulicos Cæsaris Trapezuntij cùm esset, lusuque vt fit, promeridianas horas traduceret, in altercatione & iurgio, ab homine, qui magnum gratiæ locum apud Cæsarem obtinebat, colapho cæsus, cùm iniuria sua à Cæsare neglecta esset, omnem iracundiæ & generosæ indignationis impetum, humilitate auctoris spretâ, in ipsum Cæsarem contulit. Genuam igitur in Patriam cùm venisset, animi mœstitiam squalore atque habitu corporis præferens, iniuriâ amicis & propinquis expositâ, illorum opibus adiutus, duas triremes comparauit & instruxit. Cum quibus egregiâ florentis ætatis bellatorum, omnìsque naualis instrumenti & bellici apparatus copiâ refertis, tanta maris emensus spatia, Euxinum ingressus, non populationibus modò, incendiis, vastationibus omnem Cæsarianæ ditionis oram breui infestam fecit, sed vim, & iram implacabilis animi memoriamque altè insidentis iniuriæ voluentis, in miseros à se captos, fœdo sup-

plicij genere expromebat, quos naribus & auribus desectis dimittebat, vt videlicet contumeliam in ore acceptam, illâ oris deformitate reddendâ vlcisci videretur. Quibus acerbitatibus impulsus tandem Cæsar, quatuor triremes in illum armauit, quas Megolus, cùm apertâ vi imparem se intelligeret, astu solertique consilio elusas vicit. Simulatâ enim fugâ, cùm Cæsarianæ omnibus remigij viribus connixæ fugientes insequerentur, dispari-que celeritate aliæ alias anteirent, Megolus respiciens eum astum sibi processisse, pugnâque illarum segregatâ, imbecilliores fore illas cerneret, in duas proximas conuersus, reliquis longo interuallo sequentibus, easque adortus, ipso impetu & incursu oppressas cepit, quo exemplo reliquæ perterrefactæ fugâ salutem expediuerunt. At Megolus, triremibus suppressis, vsitata deformandi oris exempla in captos edidit, quos dimittens nuntiare Cæsari iussit, vnam illi tantummodò esse, sese ac Populos suos è tantis cladibus eximendi rationem, si eum, qui ipsum iniuria affecisset, sibi in manus daret; aliter sibi de iniuria satisfieri non posse. Quod cùm Cæsar malis vrgentibus & populorum fremitu victus fecisset, Megolus hominem ad se adductum, calce prius in conscensu triremis, in ore percussum,

ad genua in humiles fletus proiectum, ac mortem quidem tam audacis superbiæ & arrogantiæ facinori debitam fatentem, sed tormenta & cruciatus deprecantem, benignè allocutus, bono animo esse iussit; cùm addidisset egregiorum ac fortium virorum moris non esse, in mulieres sæuire: Quod anceps dictum in muliebres hominis fletus, in speciem iactum, famam gratiæ apud Cæsarem flore ætatis collectæ, obliquè perstringebat. Cæterùm cùm sibi affatim satisfactum esse diceret, vnam reliquam esse addidit erga Genuense nomen satisfactionem, cui non minor, quàm ipsi facta esset iniuria; Si Cæsar Trapezunte Ædes publicas negotiatoribus Genuensibus ædificasset, egregij facinoris serie in parietibus pictura expressa, ad documentum sanciendum, ne quis inposterum illius nationis homines iniuriis cuiusquam obnoxios duceret. Quas AEdes Cæsar ex pacto ædificatas, homine recepto, Genuensium nationi domicilium assignauit.

Alterius Colaphi, de quo datâ occasione facta est mentio, meminit popularis tuus Augerius Gislenius Busbequius, in Epistolis posthumis ad Rudolphum Imperatorem. Erat, inquit, Antuerpiæ in cubiculo Alensonij, Sanctus Lucas; (qui Thuano & Sammartano Sanlucius) *Is cùm gratiâ*

Regis excidisset, sectam deinde Alensonij sequutum esse scripsi Cæsareæ tuæ Maiestati. Eo præsente, alius nescio quis nobilis, aliquid dixit, quod ille dictum nollet, & in suam contumeliam acciperet. Itaque illi statim os manu percussit, coram & inspectante Alensonio. Id Princeps Auriacus, qui aderat, tulit indignè, neque adeò iram tenuit, quin Alensonio diceret, tam indignum facinus non debere esse impunitum, neque fuisse laturum Imperatorem Carolum, cùm viueret, sed seuerissimè in auctorem vindicaturum, cuiuscumque tandem dignitatis aut fastigij fuisset. Inuiolata & sacrosancta esse debere cubicula Principum, in quibus nulli sit iniuriæ locus. Ad ea hisce ferè verbis Sanctus Lucas; Ain verò, Carolum mihi narras? qui si viueret, & bona, & caput habere desiisses. Quo dicto se proripuit, omnesque vecordis audaciæ admiratione defixos reliquit.

Accipe istas, quas petiisti, antiquæ Gazetæ non contemnendas reliquias, & istud simul consilium à tuo Balzacio accipe. Relictis quandoque cœlestibus illis orbibus, in quibus cum Paulo, cum Dionisio, cæterisque id genus alterius Mundi incolis, assiduè versaris, descende, mi Pater, ad hæc nostra inferiora. Oblecta te nostris historiis, nostris ver-

ſibus, noſtris etiam nugis atque ineptiis: Neque tibi inhoneſtum aut indecorum putes, deguſtare interdùm vel primis labris innocentes ſanctiſſimorum virorum delicias. Si credis Chryſoſtomo, qui Ariſtophane familiariter vtebatur; ſi Hieronimo, qui legebat libentiſſimè Plauti fabulas; ſi noſtro Perronio credis, qui Amadiſios etiam lectitabat, grauiorum ſtudiorum aſperitatem mitigabis ſæpius, hoc quaſi condimento non indoctæ ſuauitatis. Vale, mi Pater, optime & dilectiſsime.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS VINCENTI VICTVRO.

S. P. D.

SEMPER-NE Hiſtorias, Vincens, peccare docentes,
Præ manibus, vetitamque artem Naſonis habebis?
Soloſ-ne Idalio natos ſub ſidere Vates,
Vates eſſe putas, & nominis huius honorem
Promeritos? Soli-ne aras ſacrabis Amori?
Vtque tuas iam delicias & gaudia dicam,
Vel potius præſens ſtudium dignoſque labores,
Aſſiduuſ-ne leges ignaui ſcripta Tibulli,
Nilque voles præter mollem didiciſſe Petrarcham?
Sat Nemeſi, Lauræque datum.

Quid enim eſt, per Deum immortalem, ſic

enim exclamare liceat, in illo beato, vt vos vocatis, Veneris regno? Quid habet poësis vestra amatoria, leporum, ſuauitatum? Quid mellis & nectaris etiam habet, quod comparari debeat cum acerbitate & ferociâ virgunculæ Christianæ, de qua nobis mirabilia narrabat eloquentiſſimus Godellus? Romano Principi, impotente amore illam depereunti, & modò iuſſa adhibenti, modò preces, modò agenti ſuperbè & regiè, modò abiectè & ſeruiliter; modò pollicenti ſummæ poteſtatis ſocietatem, modò intentanti vltimum ſupplicium, ita reſpondiſſe credibile eſt.

Ne tu durum animum molli corrumpere vita,
Illecebriſque Aulæ, atque ipſius munere Sceptri,
Aut emiſſarum ſperes terrore ferarum,
Carnificumque metu: Perdis, vaniſſime, perdis
Blanditiaſque iraſque tuas, & quicquid Auerno eſt
Sæuitiæque dolique. Vt tota nil agis arte,
Nil quas vnus habes, totius viribus Orbis?
Audi iterum, firmamque in cladibus aſpice mentem,
Non tua me promiſſa mouent, fruſtràque minaris.

Eſt animus mihi contemptor luciſque Tuique,
Ridet & inſanos turbati pectoris æſtus.
Regna tuis meliora, audax, per vulnera quæro,
Admotiſque puellam imbellem illudere flãmis
Et iuuat & dulce eſt, vitamque impendere
Chriſto:
Ille habeat noſtros, contempto Cæſare, amores.

Mihi quidem videtur ita reſpondiſſe fortiſſima Puella, & magnanimum ſuum contemptum oppoſuiſſe toti Romano Imperio, ſecundæ pariter & aduerſæ Fortunæ. Sed priuſquam in illa animoſa verba erumperet, id nempè ardentiſſimis votis Deum Optimum Maximum rogauerat, vt periclitanti pudicitiæ opem ferret; conſeruaret ſibi eum animum, quem dederat ad eam diem, auferret denique à ſe atque corrumperet, ſi quid erat pulchritudinis, cuius gratiâ peruersè amabatur. I nunc Vincens Victure, Iocorum, Lepôrum, Elegantiarum pater, & aliquid, ſi potes, elegantius quære in Romanenſibus tuis libris, in illis Hiſtoriis, peccare & inſanire docentibus. Vale.

IOANNES

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS REVERENDO PATRI ACHILLI DONIO ATTICHIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

S. P. D.

FVISSE apud nos Grammaticum Vaſconem, bipedum omnium nequiſſimum, eundemque loquaciſſimum & vocaliſſimum, non falsò nunciarunt Flexiæ Patres admodùm Reuerendi. Eſt ita vt narratum eſt tibi, mi Achilles. Grammaticus ille à Sexto Aurelio Propertio capitali odio diſſidet. Obtentui ſumitur duritia numerorum Propertij, peregrinitas dictionis, vbi Elleniſmi frequentiores, vbi denſitas Græcarum Fabularum, quibus carmen non tam ornatur quàm inuoluitur. Jlle color,

ille prætextus inimicitiarum quas exercet: Hæc autem odij vera & germana causa est. Malè persuasus de immortalitate animorum, & Epicuro ipso Epicurior, concoquere nunquam potuit versiculum istum Propertianum,

Sunt aliquid Manes, letum non omnia finit.

*Christianam hanc sententiam non potuit Ethnico condonare. Sic Poëta cecidit in Grammatici offensionem. Et ab eo tempore Grammaticus obtrectare Poëtæ, de Poëtæ fama detrahere non desinit ******. Vidisti aliàs hominem. Audisti in quotidianis Comœdiis Pyrgopolinicis partes bellè agere. Audisti vsurpantem crebrò, sibique affingentem Virgilianum illud*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Atque metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitũque Acherontis auari.

Ne vobis imponat verborum illa magnificentia: Histrio & Recitator Virgilianus est, non Philosophus Virgilianus. Meticulosissimum omnium animal timet etiam non timenda. Neque ignem modò, sed suspicionem quoque ignis, & fumum è longinquo volantem, & sublustriorem vmbram timet. Aliquid ei ampliùs largiatur liberalitas nostra, & Poëtarum hostis habeat à me Poëticum elogium.

Vilis Grammaticus, gentis pars fœda togatæ,
Impuro tantùm ore ferox, ne credite verbis,
Corde pauet gelido, quamuis verba ardua ia-
ctet
Sæpius, & tragicas effundat in aëra voces.
Non furor huic constans, non Numina fortiter
odit,
Intrepidusque Polos audet ridere tonantes,
Vt quondam Capaneus Thebana ad mœnia pu-
gnans,
Cùm non arma Iouis flammasque timeret O-
lympi.
Hic dubij imbellis ventura pericula casus,
Et simulachra malorum, & laruas horret inanes,
Contemptor placidique Iouis Cœlique sereni.
Quas non ille aras, humili formidine tactâ
Mente petet, quos non Superos in vota vocabit,
Si videat maris iratos insurgere fluctus,
Sentiat aut propriis ardere incendia venis,
Insolito-ue vrgeri oppressum pondere pectus,
Æger, inops animi, atque instantis victima
Fati?

Vale, optime & disertißime Achilles.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS REVERENDO PATRI ACHILLI DONIO ATTICHIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO.

S. P. D.

HVMANISSIME Achilles, Noli summo iure mecum agere, & succensere Balzacianis Musis, alieno in loco atque intempestiuè canentibus. Placuere sic quoque maiorum gentium Criticis, ipsisque Principibus Reipublicæ litterariæ: Neque sine aliqua voluptate viderunt in litteris

noſtris amici illi mei, ſubitos iſtos impetus, inexpectatos vt plurimùm, & aliquando non voluntarios. Delectati ſunt aurâ iſtâ Poëticâ, paulò vehementiore, fateor, & quâ interdum abrepti in altum ferimur, procedimuſque etiam quàm par eſſet longiùs. Si hæc culpa eſt, communis nobis eſt cum Eruditiſſimo Togatorum, diuini humanique iuris ſcientiſſimo. Similiter, inquam, peccauit Marcus Terentius Varro, in Satyris Menippeis, vt teſtantur paucæ aliquot tabulæ, quæ ex luctuoſiſſimo integri operis naufragio ad nos enatauerunt. Cur autem, mi Achilles, liceat Satyris quod Epiſtolis non liceat? Vllum-ne eſt ſcribendi genus, quod minùs ad legem & regulam compoſitum, quod liberiùs, diſſolutiùs, inordinatiùs, cum laude etiam, eſſe poſſit hoc ſcribendi genere familiari? Hîc profectò vt illîc fas eſt ludere hominibus non inurbanis. Imò verò Epiſtolæ debent plerumque hallucinari, ipſo Tullio teſte, qui ſui quoque ſæculi magnus Epiſtolarius fuit. Scis, quo exemplo fretus, Epiſtolarium *dixerim.* Epicuriorem *dixeram priùs, vt aliquis olim* Pœniorem & Neroniorem. *Sed exempla nil moror, nec me pœnitet delicti mei, nec conſcientiam tuam reformido, manifeſti quamuis criminis reus. Vt ſcires me tibi eſſe valdè fa-*

miliarem, prudens ſciens violaui te coram, Diuæ Grammaticæ edicta, & Barbariſmum non timui. Plus facerem, ſi opus foret, & ita velles. In tui gratiam, ſuauiſſime Achilles, horribili etiam & abominando ſolœciſmo contaminarem innocentiam meam. Huic homini opponat Hiſtoria illum hominem, qui iubente Tiberio Graccho, Capitolium incendere paratus erat. Vale, & ride audaciam comparationis.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS SCIPIONI IVCVNDO.

S. P. D.

INNOXIAM hilaritatem, Scipio Iucunde, candidos & ingenuos probamus iocos.

At procul hinc nigrique ſales, denteſque cruenti
Morſibus aſſiduis. Cupiam nec lædere Diuos,
Nec Reges violare, & *Baſtillabile* dictum
Non ego, non ſocius, noſter ſed proferat hoſtis.

Scis quantæ aleæ, quantæ temeritatis ſit ſcribere in illum, qui proſcribere poteſt. Homines noſti periculosè vrbanos, infeliciter eloquentes, qui vrbanitatis, qui eloquentiæ pœnas dant ſuæ; qui, vt olim Romæ dictum eſt, mortifera loquuntur, & voces proferunt, per iugulum redituras. Sed de his

hominibus hactenus. Credideram Legatum, de quo tam inexpectata nunciantur, maiores in verâ Philoſophiâ feciſſe progreſſus: Deſcendiſſe putabam in pectus hominis ſapientiſſima dogmata, quæ quotidiè in ore habet. At quàm infirmè contra vtramque fortunam paratus armatuſque eſt! quàm præclarè humanas res admiratur! quàm aliunde pendet! quàm extrinſecus benè aut malè viuendi ſuſpenſas habet rationes! Ego nec Ampliſſimos, nec Illuſtriſsimos, nec Excellentiſsimos vmquam ſuſpexi. Imò & Excellentiſsimo illi, qui iam totus in titulis ſuis ſtupet, oblitus veræ & propriæ dignitatis, libenter occinerem, ſi eſſem apud vos Domine Excellentiſſime, etiam-ne tu has ineptias, homo multâ doctrinâ, ſummâ prudentiâ, plurimo vſu rerum? Vllam-ne Appietatem (agnoſcit Tullianum verbum Excellentia veſtra) vllamne Lentulitatem, aut Amplitudinem, aut Excellentiam valere apud me plus exiſtimas, quàm ornamenta virtutis, quàm animi magnitudinem, ingenij præſtantiam, ſplendorem litterarum? *Enimverò, mi Scipio, ſi Excellentias, Celſitudines, Dominationes Illuſtriſsimas, in Latium transferamus, actum eſt de reliquiis veteris Imperij: Periit ipſum ſimulachrum, ipſa vmbra Reipublicæ. Si*

tam

tam inquinatè & barbarè velimus loqui, frustrà igitur, nec in nostrum exemplum, aliter locuta est Romana Antiquitas. Malè ille Romanæ Princeps Antiquitatis, cùm dicebat, Nouum crimen, Cai Cæsar: *Et ille oppressâ iam libertate, atque Tiberianis temporibus*, Patres Conscripti, & Tu Cæsar: *Et nouissimè Cospeanus noster*, Latinè ad te scribo, Armande Cardinalis, vt maiestate linguæ vindicem me à formulis seruitutis. *Quæ sunt autem formulæ seruitutis, fœdæ & barbaræ seruitutis, si istæ non sunt? Vale, & de fasciculo esto securus. Ne minima quidem peribit syllaba Commentariorum tuorum. Eos habebit præstantissima Logæa, crastinâ die sub meridiem, per Internuncium nostrum Totylam.*

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS BERNARDINO TEXTORI.

S. P. D.

EXhilarabo te iucundissimo nuncio, cuius, ni graue est, participes fieri velim, si qui sunt in Nouempopulania vestra, qui Balzacij memores viuant. Me fert in oculis; In ore me habet; Immortalibus beneficiis me suum fecit nobilissimus ille Theologus Congregationis Fuliensis, Pater ille Andreas, qui dictus olim caput horum & causa malorum; *cuius etiamnum odium in me plusquam Vatinianum mendacissimi mortales quotidie narrabant mihi. Apage caninam, de qua est apud Fabium nostrum, litigatorum facundiam: Apage infelix studium contentionis,*

*miſeram altercandi libidinem , quæ manſuetiores Muſas propria manſuetudine exuit , imo de Muſis & formoſiſſimis virginibus Harpyias facit & Furias , monſtrorum & prodigiorum parentes facit. Fuerim innocentiſſimus virorum; fuerim ab Aduerſariis prouocatus ; pax vel iniqua , Bernardine , iuſtiſſimo bello anteponenda eſt. Amplius dicam. Si Caius Plinius inter calamitates Quinti Metelli Macedonici, ſummi viri retulit , quod inimicus fuit Scipioni Africano : Si Romanus Princeps ſe indignum luce & vita palàm profeſſus eſt, ſi diſpliceret Senatori cuidam, cuius mihi excidit nomen ; poſſum-ne ego ſpontè & libenti animo ſimultates exercere cum tot grauiſsimis, ſanctiſsimis, erudiſsimis viris.? Mea-ne mihi ipſi cauſa probari poteſt, quæ **** Procul ergo ſint , iterum dico , rabioſa fori iurgia , & triſtes reorum querimoniæ : Æternùm taceant lectæ in Rambuletianis & Thuanis ædibus Apologiæ: Phylarchiani belli vel tenuiſsimæ reliquiæ aboleantur. Si quid aſperius & inclementius dictum ſuggeſſit dolor , hoc dictum nolim , & deleat amor quicquid ira , quicquid ſcripſit indignatio. Aut ſi id minùs fieri poteſt , Bibliopolis haud facilè de iure ſuo decedentibus : Si id per eos non licet,* per

quos perire non licet meis nugis : *Si denique emiſimus verſus irreuocabiles ; ſaltem , Bernardine mi , irreuocabilibus illis verſibus , ad ampliſsimum Mauſſacum miſsis , hos duos me auctore adiice,*

O Superi tanto-n' placuit concurrere motu
Æternâ poſthac mentes in pace futuras ?

Adde & aliud longius carmen, cuius argumentum leges in Epiſtolis Gallicis , quas tibi meo iuſſu exſcribit Amanuenſis meus. Vale.

ITER SPERATVM.

AD

REVERENDVM PATREM

DOMINVM

ANDREAM A SANCTO DIONYSIO,

Theologum Congregationis Fulienſis.

TAntùm erit in votis, & ſpe me fallet inani
Illud Iter? Semper cupiam, numquam-ne videbo
Optatum toties Ligerinum, vmbraſque virentes,
Vrbis vbi procul à cœno, aſpectuque Malorum,
Ætherei Chriſtoque ſacri paſcuntur Olores,
Et patrium vario mulcentes æthera cantu,
Ducunt innocuas felici in littore luces?

Tales credibile eſt, naſcentis origine Mundi,
Illuxiſſe Piis, ſine nimbo & turbine puras,
Rideret cùm perpetui clementia Veris.
  Has luces, labe exemptas & ſordibus æui,
Cœleſtes Horæ multo auro & flore coronant,
Et totas niueis dant Chriſto impēdere Cygnis.
Illi ſupra Aquilas & nubila celſa feruntur
Interdùm, atque humiles linquunt cultoribus agros,
Et regionem omnem leti mortalibus ægris,
Egregio ardentes Patriæ melioris amore.
Quin fontes primique petunt cunabula Pulchri,
Vnde ignes hauſere ſuos Titaniaque Aſtra,
Duxque ipſe Aſtrorum, formoſo vertice Titan;
Vnde placet quodcumque placet Telluris in orbe,
Atque omnis decor, & rerum iucunda venuſtas,
Eximiique fluunt, queis pingitur illa, colores.
  Cum verò poſt tanta arcani commercia Mundi,
Deſcendiſſe iuuat, ſpretaſque reuiſere Terras,
Tunc ſacræ modulantur aues, quæ numine pleni

Iſacidæ, atque alios inter Ieſſeius Heros,
Gemmifero ſceptro citharâque inſignis eburnâ,
Carmina fuderunt nitidas Iordanis ad vndas.
Nec proprium numen, nec eis ſua carmina deſunt,
Luminibus Naturæ, atque Artis ſplendida cultu,
Seu Latiis numeris, patriâ ſeu condita linguâ.
His nemora & ripæ reſonant colleſque propinqui:
Hæc & Francigenûm Ligeris regnator aquarum,
Sola pater Ligeris vitreo miratur in antro,
Ronſardi quamquam antiquos reminiſcitur ignes,
Sæpius & doctas audiuerit ante querelas.
O ſanctæ, quas quæro ſenex ante omnia, Muſæ!
O ſummo in Terras demiſſa ſcientia Cœlo,
Graios dedignata Sophos, Romanaque corda,
Alitibus vix nota Poli, munuſque paternum,
Quod tulit huc Natus, renouato & tradidit Orbi!
Simplicitas ô cauta, & amatæ ſola cupido

Virtutis, contemptrixque Aulæ & diues E-
geſtas!
O viridis Ligerine, ô cani ad flumen Olores!
Tuque adeò, audiui nuper quem dulce ca-
nentem,
Incola Olor Ligerini, hoſpes ſed facte Ca-
rentæ,
(Nam noſtri violentus amor te traxit in oras
Santonicas, ægrumque inuiſere iuſſit Amyn-
tam)
O quicquid cupio, pulchrique bonique vi-
dendum eſt,
Quando ego vos videam & dabitur mea ſol-
uere vota!

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS BARTHOLOMEO RHODIO.

S. P. D.

NEc ſatis eſt dixiſſe ſemel. *Iterum ergo, Bartholomee Rhodi; Talia ſpectacula Balzacio tuo non placent, neque ſine aliquo horrore video funambulos illos in rebus Theologicis, imò Icaros & Phaëtontas, qui ſuâ audaciâ, ſuâ temeritate, ſuis naufragiis nobilitari volunt. Ego, qui imbecillitatem humanam, qui propriam infirmitatem optimè noui, non modò non volare, ſed nec nauigare quidem velim.*

E Terra procul aſpiciam Neptunia Regna.
Infames variis Doctorum caſibus vndas,

Humanæ ſcopulos mentis, Scyllamque Charibdimque
Heu metuenda mihi, heu fœdis loca cognita Monſtris, &c.

Quæ à me audiſti de Annibale, fruſtra quæres apud Liuium: Antiquior Liuio ſcriptor hoc me docuit. Annibalem nempe cùm columnam auream quæ eſſet in fano Iunonis Laciniæ, auferre vellet, dubitaretque vtrum ea ſolida eſſet, an extrinſecus inaurata, perterebrauiſſe; cumque ſolidam inueniſſet, ſtatuiſſetque tollere, ſecundùm quietem viſam eſſe ei Iunonem prædicere ne id faceret, minitarique, ſi id feciſſet, ſe curaturam, vt eum quoque oculum, quo bene videret, amitteret, idque ab homine acuto non eſſe neglectum. Itaque ex eo auro, quod exterebratum eſſet, Buculam curaſſe faciendam, & eam in ſumma columna collocauiſſe. Tu qui fugiſti patriæ quondam floretiſſimæ ruinas, qui luges tot ſacras ædes, ſpoliatas à Goto & Vandalo in Germania veſtra, nota hic mecum, religionem Annibalis, de quo ſcriptum eſt tamen, Nihil veri, nihil ſancti, nullus Deûm metus, nullum iuſiurandum, nulla religio. *Ita impij ſimul & ſuperſtitioſi ſunt miſeri mortales, atque ex contrariis partibus conſtat*

animal illud , quod hominem vocamus. Vale.

Nobilißimi Borſtelli diſertißimas literas admirati ſumus. Narra illi quamprimùm , mi Rhodi , admirationem noſtram , & per te ſciat , ſe dignum fuiſſe inuidiâ magni Franciæ Epiſtolarij. Vale iterum , carißimum mihi nomen ,

Nomen cum violis roſiſque natum,
Et Rheni decus & decus Carentæ.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS PETRO [redacted] COSTARDO.

S. P. D.

DElectatus sum maiorem in modum vltimâ tuâ Dissertatione; elegantissimâ, vt tua sunt omnia, Costarde, & erudissimâ. Penetrarunt altiùs in pectus meum, quæ scripsisti, cùm ea legi, quàm cùm audiebam. Atque ab eo tempore, te & tuis plenus, cœpi veritatem diligentius indagare. Excussi protinus omnem meam litterariam supellectilem: Lustraui omnes meas copias, tandemque in eum incidi virum, qui me vel in summâ egestate contra Fortunam bono animo esse iuberet, doceretque, adeò quæ mirantur mortales, fortiter contemnere. Eo auctore, de auro & gemmis, cæ-

terisque his rebus, quibus opinio pretium fecit, didicit Rusticus tuus ita philosophari.

*Ego triticum & vuam adamanti & margaritis libenter antepofuerim. Minùs credibile aliquid dicam, prætulerim molam farinariam. Est enim mola illa, Reipublicæ pars, adamas non est. Quod si ad materiam formamque confugiant, quæ hanc illis moueant admirationem, ipsum verò negligant finem, contra ego ea omnia futilia censeo, quorum finis ab homine ignoratur. Quid quæso, adamante faciat ædium structor? Sed & rosa tùm preciosior, tùm elaboratior à naturâ quàm quiuis lapillus aut gemma videtur nobis. Nam quod attinet ad diuturnitatem, id nihil prorsus; cùm Philosophi contemplatio in specierum versetur immortalitate. Sic nempe plantæ, & ipsa demum elementa maiorem quàm homo efficerent admirabilitatem. Nihil nos mouet quæ finem habet diuturnitas: Neque enim trecenti anni magis quicquam sunt, quàm trecenti dies, imò verò quàm horæ tres. Quoniam æquè interit quod vixisse videtur diù: Species æternas esse satis est *** Nosti illa Poëtæ elegantißimi, sed cuius nomen ignoratur,*

Nam ſic ingenuo flaueſcunt Mala colore,
　Vt ſuperent auro vera metalla ſuo.

Simile dici poteſt de roſarum purpurâ, de liliorum argento, de ſmaragdis herbarum. Vale

Cari ergo ſumus nobiliſsimo Oratori, illuſtriſſimo Lauerdino? O me beatum, mi Coſtarde! Beatiorem, cùm dicentis vim & copiam, quæ iam Pictonum felicitas eſt, licebit coràm admirari.

IOANNES
LVDOVICVS BALZACIVS
PETRO[redacted] COSTARDO.

S. P. D.

CVi non dicta Rosa est, formosi gloria Veris,
Terrarumque decus, Cœli quam liuor iniqui
Ostendit morituram, & versicoloribus Hortis
Reginam dedit esse breuem? Priscisque Nouisque
Dicta Rosa est nimiùm Scriptoribus.

Ab aliis nimiùm & molestè, fateor: A te verò non satis, ô Costarde, adeò venusta sunt quæ de illa dixisti, sitimque excitarunt mihi, plura & similia legendi. Exhausisti tamen Latium antiquum & recentem Italiam, in hac tua dissertatiuncula. A te consumptæ sunt totius humanioris orbis opes. Ipsa Græcia, in qua nata est & educata humanitas, quicquid pulchrum, quicquid egregium habet,

tibi habuit. Solam mihi Barbariam reliquisti, à qua accepi haud ita pridem, Turcis Rosam esse inter res sacrosanctas. Sic enim familiaris mihi scriptor, nobilissimus Ferdinandi Legatus, Immane apud eos piaculum, si quis eorum vel imprudens Alcorano insideat, homini verò Christiano etiam capitale. Sed nec Rosarum folia humi iacere patiuntur: Quod vt veteres Rosam ex sanguine Veneris, sic isti ex sudore Mahumetis natam sibi persuaserint. *Vide delicias Turcarum, & vt Poëticè aliquando philosophentur Epicurei illi armati. O Elegantiam Barbaricam? Sed en tibi promissa Epigrammata, quæ debemus codici Salmasiano. Audi verò tu, qui circumfluis omnibus copiis, qui viuis in rerum omnium abundantia*, contractu do vt des, tecum agit Aufidius, *& expectamus in orationem Ioannis Casæ, quam Pauquetus exscripsit, subtilissimos, doctissimos, longissimos tuos Commentarios. Vale.*

NOVÆ

NOVAE ROSAE.

Venerunt aliquando Rosæ, Proh Veris amœni
Ingenium! vna dies ostendit spicula florum;
Altera pyramidas, nodo maiore tumentes:
Tertia iam calathos: Totum lux quarta peregit
Floris opus; pereunt hodiè nisi manè leguntur.

XERXES.

Xerxes magnus adeſt; Totus comitatur euntem
Orbis; quid dubitas Græcia ferre iugum?
Tellus iuſſa facit, Cœlum texere ſagittæ:
Abſcondunt clarum Perſica tela diem.
Claſſes foſſus Athos intra ſua viſcera vidit:
Phryxeæ peditem ferre iubentur aquæ.
Quis nouus hic hominum, terramque, diemque, fretumque
Permutat? certè ſub Ioue Mundus erat.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS SCIPIONI IVCVNDO.

S. P. D.

SI mei iuris essem, Scipio Jucunde, nec inclinata iam ætate, glebæ affixus, pars velut immobilis factus essem agelli nostri, donarem libenter ego vnum ciuem Septimaniæ vestræ, imò verò Jtaliæ vestræ. Ut enim Jtali Galliam suam Cisalpinam, ita nos Galli habemus apud vos, Cisalpinam nostram Jtaliam, viis, ficubus, melopeponibus, cæterisque mensarum deliciis longè nobilissimam. Non spontè igitur continemus nos domi: Et sic quoque semper tamen Tolosam cogitamus, quò non semel inuitati fuimus humanißimis litteris illustrißimi & eruditißimi Monchaldi. Si dicam tibi Præsulem illum scire non pauca quæ ignorauit Baronius, nul-

lam iniuriam fecero τῷ μακαρείτῃ, nihilq; dicam quod non in illa quâ nunc circumfunditur rerum luce, non agnoſcat ὁ μακαρίτης. Verùm enim-verò, ne me in Barbaria viuere credas, recenſebit tibi Pater Mainardus nomina humaniſsimorum virorum, quos hic vidit ſuperiori æſtate, quibuſque vtor familiariter. Habeo jam certè quicum non ſolùm ſuauiſsimo ſermone horas conſumo, ſed etiam à quo recedo ſemper & melior & doctior, Paulum Thomam à Giraco, paternâ virtute, ſuâ virtute clariſsimum; rerum diuinarum & humanarum cognitione inſtructum, à prima adoleſcentia; litteris Latinis, Græcis, Hebraïcis ſuprà quàm credibile eſt, ornatum; omnibus denique & naturæ & artis præſidiis ad dicendum, ad ſcribendum paratum. Quid plura? Teſtem mei de illo iudicij Gallicam ad eundem Epiſtolam, quæ cum reliquis meis propediem edetur, huic ſubiungere viſum eſt. Sequuntur in altero quaternione Galateus & Alcimedon, quorum copiam ſibi fieri voluit Excellentiſſimus Legatus. Vale, mi ſuauiſſime Scipio.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS CAROLO DALLOO THIBALDERIO.

S. P. D.

R*Ediit igitur in gratiam cum patriis legibus, cum moribus publicis, cum antiqua & recepta religione N N. Seriò iam vsurpat verba illa Doctoris Afri, quæ toties à te audiuit.* Hæc nos risimus aliquando: De vestris fuimus. Fiunt non nascuntur Christiani. *Noueram ego minus in bono constans, quàm gnauum in malitia ingenium, & mihi spes semper fuit, post aliquot aberrationes à veritate, atque excursus aliquot in hostium castra, fore hominem nostrarum, id est optimarum partium. Quod superest, mi Carole, qui fugitiuo*

ſuccenſuimus, reduci gratulemur, atquè hîc vt vbique, Chriſtum noſtrum Victorem, Triumphatorem *ſolemni carmine ſalutemus. Sed ain tu Abbatem S. Nicolai Andegauenſis Romam magnis itineribus contendere? Demandatam ei eſſe procurationem rerum Gallicarum, gaudere debent Galliæ omnes amantes viri. Antiſtes eſt, crede mihi, egregiè cordatus, longè optimus, eruditiſſimus, prudentiſſimus, & qui probitati benè cum ſapientia conuenire exemplo ſuo demonſtrauit. De illo verè dicere poßis quod de alio olim dictum eſt,* Noua dogmata, Paradoxa, vt vocant, ab auribus populi abhorrentia vitauit præcipuè. *Cumque nomen ipſum Philoſophiæ intelligeret, etiamſi modeſtè tractetur, tamen ſatis odioſum eſſe per ſe, nihil in habitu ſuo vel in genere vitæ, vel in ſententia dicenda rarum aut notabile conſpici voluit, ac ſemper ſeſe, quibus rebus honeſtè ac religiosè potuit, ad communem conſuetudinem accommodauit; neque commiſit vt quod ipſe non faceret, id in aliis reprehendere putaretur &c. Sectabatur verò quæ & in vulgus accepta eſſent, & cum ratione pariter ac pietate conſentirent, cauebatque ne de rebus etiam diuinis, ineptè vel ad ſatietatem ac faſtidium ageret &c. Vale.*

V. IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS CAROLO DALLOO THIBALDERIO.

S. P. D.

Vidimus, audiuimus, deteſtati ſumus æternum illum Elegiarum, Eclogarum, Epithalamiorum, Epicediorum recitatorem, de quo vaticinatus olim qui dixit,

Αναξ Απόλλον τῶν ἐπῶν ὥσπερ ῥευμάτων
Κἂν ἀκοῦσι πηγαί. δωδεκάκρουνον στόμα,
Ἰλιασὸς ἐν φάρυγγι. τί δεῖ εἴποιμί σοι;
Οἱ μὴ γὰρ ἐπιβύουσι τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
Απεντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασι.

Quæ ſic Latina fecit vir tibi mihique cariſsimus.

O Dî Deæque, carminum ceu fluminum,
Scatebræ ſonant: In ore fontes duodecim,

In gutture est Ilissus ; quid dicam amplius ?
Nisi quis illi properè os obturauerit,
Hæc cuncta merget sub diluuio carminum.

*Municipalis alter poëta, nimiùm quoque poëta est, vt ille apud scurram Bilbilitanum. Vigilans plerùmque somniat: Adeò inepta de sanguine Deorum, quo se ortum gloriatur, de Cœli commercio, de Apollinis & nouem Sororum familiaritate sibi persuadet, & conatur persuadere multitudini imperitæ. Orator verò, qui minaces & gladiatorias litteras scribit, poterat mecum modestiùs agere. Verba sua recognoscat, & te auctore, deponat spiritus non suâ fortunâ dignos. Ego quidem hominem diligo, sed odi superbam egestatem. Non ferendus est Irus, qui voces Achilleas proferat, & heroïcam magniloquentiam imitetur, detritâ ac lacerâ veste habitans sub tegulis Gymnasij Lexouiensis. Ita-ne insanire homines, & *** Vidit scilicet pater Sequana miserabiliter eiulantem victumque à dolore Cerisantem nostrum: Sed post aliquòt menses eundem vidit vltima Arctos, in conuiuiis Sarmaticis gerentem se fortiter atque strenuè, poculis immanibus profligantem audacissimum & ferocissimum quemque Barbarorum. O pulchram inconstantiam rerum humanarum,*

quam

quam exhibebunt tibi Lyrici quos ad te mittimus. Opuſcula mea Gallica, quæ nomine Sereniſſimæ Reginæ petierat Cerisantes, naufragio periere, & cum illis Epigrammatia quæ hîc videras ad eandem Sereniſſimam Reginam. Vale.

AD IOANNEM LVDOVICVM BALZACIVM.

FRustrà, maxime Balſaci,
Fruſtrà nobilibus modis
Noſtram ſollicitas chelyn.
Heû nec mens mihi, nec vigor,
Ex quo mors grauis abſtulit
Dulces delicias meo
Ingentem puerum ſinu:
Ex quo flos Patriæ & decus,
Duri gloria ſæculi,
Carus luce mihi magis,
Heû FORSIVS occidit;
Pro quo debueram mori,
Si noſtrâ prece mobiles
Seruaſſent Puerum Dei:
Quem (ni ſors nimis aſpera
Noſtros diuideret dies)
Supremò comes halitu
Saltèm debueram ſequi.

Marcus Duncanus Cerisantes.

AD
VINCENTEM VICTVRVM.

AMice, nil me ſicut anteà iuuat
Puluere vel Cyprio
Comam nitentem pectere;
Vel quas Britannus texuit ſubtiliter
Mille modis varias
Iactare ventis tænias;
Vel quam perunxit Frangipanes ipſemet
Pelle, manum gracilem
Coràm puellis promere;
Vel delibuto roribus jaſmineis
Mungere linteolo
Nares licet non humidas.
Hæc me beatum detinebant omnia,
Cùm leuiter furerem
Iam Corcyrilla, iam Chloë.
Nunc militaris me cupido gloriæ,
Ingeniumque ferox,
Acerbus & mentis dolor,

Traxere Mundi ſub latus, quò candidum
Nec Venus alma pedem,
Nec intulerunt Gratiæ.
Nunc eſt bibendum cum viris pugnacibus,
Quos, niſi te paterâ
Spumante totum proluas,
Statim frementes videris, nec deſinant
Iurgia, dùm cyathos
Effuſus inceſtet cruor.
Nunc eſt bibendum, nunc decet ructu graui
Tingere cum dapibus
Mixto pauimentum mero.

Marcus Duncanus Ceriſantes.

IOANNES LVDOVICVS BALZACIVS GVLIELMO GERARDO DVCI ESPERNONIO A SECRETIS.

S. P. D.

Vocem illam Agripinæ apud familiarem nostrum, querentis de nimiâ Senecæ & Burrhi potentiâ, sic populari hac nostrâ linguâ non ineleganter reddere poteris. N'est-ce pas vne grande honte (*Totyla vellet* vne grande vilanie) qu'vn Pedant & vn Soldat estropié veuillent gouuerner toute la Terre? *Quid ergo sibi vult disertißima & vrbanißima Epistola ad Primerium, cùm ait*, Nus-

quàm pictum, aut fictum aut ſcriptum in hiſtoria inueniri, virum eruditum regnum aut imperium cuiquam eripuiſſe. *An neſcit ille omniſcius, Philoſophos pleróſque ſeruitutis iugum impoſuiſſe inuitæ & reluctanti Patriæ? eruditos non paucos, ab vmbratili exercitatione ad publica moderandæ ciuitatis officia digreſſos, non modò beatæ vitæ præſidia non comparaſſe ſuis ciuibus, verùm etiam tyrannidem crudeliſsimam exercuiſſe? Num meminit Critiæ, eorumque qui cum Critia Philoſophiæ myſteriis initiati ſunt? Oblitus-ne eſt Tarſenſem Lyſiam, Athenionem, Democharem (vt Græciâ non decedam) alioſque propemodùm innumerabiles, qui ab otio Philoſophiæ ad Reipublicæ negotium promoti, tam acerba dominatione vſi ſunt, vt non Athenis inſtituti ad omne officium humanitatis, ſed in extrema Barbarie, atquè apud Scythas informati viderentur, ad lanienam & perniciem generis humani. Præſtantiſsimum Olearium, Diuæ Monetæ, Diuæ Themidis, Muſarum & Apollinis Sacerdotem, quis ſummis non ferat laudibus? quis tot in vno Heroas non ſuſpiciat? Elegantiſsimas quas ad te dedit litteras legi magna cum voluptate, ſed illam partem litterarum, vbi in me ornando eloquentiâ ſuâ abuſus eſt, præ-*

terire debuerat, nec modeſtiam noſtram in tantum diſcrimen adducere. Amet nos, vt facit, conſtantiſsimè, ſed colores ſuos, ſed pigmenta & lenocinia artis ſuæ, Cinthiis, Corinnis, Lydiis & Phyllidibus ſuis ſeruet. Vale.

Ioannis Ludouici Guezij Balzacij
Epiſtolarum Selectarum
Finis.

IOANNIS
LVDOVICI GVEZII BALZACII
CARMINVM,
INDEX.

Liber Primus.

Liber Secundus.

Liber Tertius.

CARMINVM, Liber Adoptiuus.

Carminum finis.

IOANNIS LVDOVICI GVEZII BALZACII EPISTOLARVM SELECTARVM INDEX.

Indicum Finis.

EXTRAIT DV PRIVILEGE du Roy.

PAR Lettres Patentes du Roy, données à Paris le 28. Ianuier 1647. Il est permis au Sieur de Balzac, Conseiller de sa Majesté en ses Conseils; de faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de son obeïssance, Diuerses Oeuures par luy composées, & ce par tel Imprimeur ou Libraire, en telles marges, en tels caracteres, en vn ou plusieurs volumes, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt-ans entiers, à compter du iour que chaque volume sera acheué d'imprimer pour la premiere fois, auec defenses à toutes personnes de quelque qualité & condition qu'elles soient, de les imprimer, vendre, ny debiter, sous quelque pretexte que ce soit, pendant ledit temps, sans le consentement dudit Sieur de Balzac, ou de ceux qui auront son droit; à peine de six mil liures d'amende, de confiscation des exemplaires contrefaits, & de tous despens, dommages & interests, comme il est porté plus au long par lesdites Lettres Patentes; à l'Extrait, & aux copies collationnées desquelles sa Majesté veut que foy soit adjoustée, comme à l'Original. Signé, Par le Roy en son Conseil, CONRART, Et seellé du grand Seau de cire jaune, sur simple queuë.

Et ledit sieur de Balzac a cedé & transporté son droir à Augustin Courbé, Marchand Libraire à Paris, pour imprimer & vendre *Ioannis Ludouici Guezÿ Balzacÿ Carminum, Libri tres, Eiusdem Epistolæ Selectæ.* seulement & conformément aux clauses, & pour le temps porté par ledit Priuilege, suiuant l'accord fait entr'eux.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 1. iour de Mars 1650.

Les Exemplaires ont esté fournis.

Errata.

PAg. 58. *Republica* corrige *re publica.*
Pag. 111. *non dignior* incola, corrige *non degener.*
Pag. 254. *Exemplum mihi, Damon eris;* corrige *Exemplum mi- eris, Damon;*
Pag. 263. *honestißimum Exulum* corrige *honestißimorum.*
Pag. 274. *Aliquid interest,* corrige *Aliquid intersit.*
Pag. 277. *Leonardo Alemaio* adde *Reuerendo Patri &c.*
Pag. 281. *Tres primi versus superflui sunt.*
Pag. 299. *& Orator Historicus* corrige *& Orator & Historicus.*
Pag. 411. *Pompeium Marci filium,* corrige *Cnei filium.*
Pag. 437. *Ellenismi,* corrige *Hellenismi.*